INTERPRETATIO EORVM QVAE CONTINENTVR IN PRAEFATIONE Simonis Simonij Lucensis, Doct. Med. & Phil. cuidam libello affixa, Cuius Inscriptio est:

DECLARATIO EORVM QVÆ in libello D. D. Iacobi SchecKii, &c.

Ad Pios Ecclesiæ Christi Ministros, & sacrarum literarum Professores.

In qua omnia ferè quæ ex physicis D. Iacobus SchecKius ad vbiquitatem carnis Christi, eiusdémque in cœna Domini præsentiam corporalem astruendam sumpsit, confutantur.

Autore eodem D. Simone Simonio.

Libellus, Logicis, Physiologis & Theologis non inutilis.

GENEVAE.
M. D. LXVII.

Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam, id eſt eam quæ inanis deceptio eſt. Paulus ad Coloſſ. cap. 2

Videte ne ſenſibilium æterna: ne æternorum ſenſibilia, id eſt non bene ſumatis principia, néue omnia ad quaſdam determinatas opiniones reducere velitis: ſecus enim fiet, vt de iis quæ perſpicua ſunt, non conſentanea dicatis. Ex Ariſtot. tertio cæli, cont. 61.

D. D. IACOBO SCHECKIO PRÆSTANTISsimo philosopho, eiusdémque philosophiæ eximio professori in schola Tubingensi, Simon Simonius S. D.

NON *desinam amare te atque obseruare, D. Schecki, quamuis Tu, in primis ipsis verbis postremi tui de omnipresentia Christi secundũ carnem libelli editi, me reprehenderis, quòd nõ* RECTE *neque* PRVDENTER, *cõsilio atque proposito tuo incognito, ea damnare in quadã mea Præfatione voluerim, quæ in altero tuo priori eiusdem tractationis scripto exposueras. Etsi enim, iamdiu de tua pietate atque modestia, ex hominum quorundam proborum sermone optimè audire & sentire cœpi: noui tamen, & imbecillitate na-*

turæ humanæ & ipso vsu monitus, homini literato condonandum esse, si de literis scribendo disputandóque, vsitatis quibusdam & iã notis reprehensionis voculis abstinere non posset, in quas sapientissimi etiam viri, non aliquando incurrere non potuissent.

Illud quidem (vt vera fatear) *tua causa non mediocriter dolui, quòd sub finẽ prioris partis tui libelli, conuitijs quibusdam asperioribus, nonnullos tuos aduersarios (siquidem illa in me non conuenire satsum mihi ipse conscius) quos Sciolos, Phormiones, Suffenos, Morosos, Arrogantissimósque contumelioseè nimium appellas, insectari velle videaris: Hoc, inquam, tua causa doleo: nam præterquam quòd contumelia omnis, quæ præsertim illusione & ὀλιγωρία infertur, mala sit, ac proinde in quouis homine damnanda, in Sene præsertim, vt Tu es, cùm εἰς κακουργίαν potius*

quàm

quàm εἰς ὕβριν vergere ſoleat (referẽte Philoſopho) eſt ſummopere vituperanda. Accedit eò, quòd hoc tuo loquendi genere, potes in ſuſpicionem non leuiſſimam apud bonos & doctos incidere, ne nonnullorum aliorum magis ſimilis poſthac ſcribendo eſſe malis, quàm tu adhuc fueris: idcircóque verendum, ne hac ſuſpicione clariſſimo nomini ac dignitati tuæ, quæ quidem, vt video, ſumma eſt, labem non mediocrẽ aſpergas. Sic nanque (vt aperte & ſine fuco meo more agam) exiſtimant iam propè omnes, Collegas quoſdam tuos (quos ita me Deus amet, quamuis non omni, non vno tamen nomine colo) pro neſcio quo Chriſtianiſmi ſui iure inflatos, hanc ſibi licentiam iampridem ſumpſiſſe, vt ſcribendo conuicia & maledicta, quantumuis intemperanti ſermone in alios conicere, tandemque liberè in quoslibet pro ſuo arbitratu inuehi ſoli poſſint, debeántque, & 2. Rhet. cap. 13

nunquam scribant, quin hanc suam licentiam, pro viribus testatissimam relinquant.

Philosophi & Christiani qui de literarum studijs grauioribus & sacris disputant, de ijs tantùm quæ causam attingunt, magnopere laborare debent, virtutisque & pietatis præcepta verbis & exemplis tradere: reliqua quæ ad maledicta pertinent, quibúsque de fama aliorum detrahi possit, impijs atque imperitis relinquenda sunt: huiusmodi nãque agrestes & ferini mores, quantumuis illustrem actionem nostram obscurare valent.

Agam liberè. Nemini multorum eorum adolescentum nobilissimorum tuæ gentis, qui in Italia dum aut Bononiæ studiorum gratia vixi, aut etiam Patauinæ Academiæ præfui, mecum familiarissimè versati sunt, studia & officia mea (quanuis minima) erga Germanorum nationem ignota,

ta, nulli erga eandem mei animi ſingularem propenſionem obſcuram eſſe puto: facere tamen nõ poſſum, quin in præſentia dicam, veſtris hiſce moribus, literatorum nobiliſſimæ & humaniſſimæ gentis Germanorum gloriam, non mediocriter apud omnes commaculari: & apud me etiam, qui etſi ex infimorum numero ſim, non poſſum tamen non vehementer eorum gratia hac ipſa re affici, atque commoueri. Quid enim hoc aliud eſt, quàm omnem ſpem eminus multóque etiã magis cominus agẽdi, diſputandique, omnibus bonis, doctis & diſcendi aut docendi cupidis eripere? Neque verò (vt de te loquar) te eum eſſe adhuc ſuſpicari volo, qui tibi perſuaſeris, tui vnius ſcripta eiuſmodi eſſe, vt de ijs tã quam ex ore Apollinis elapſis, nemini contrariam ferre ſententiam fas ſit: Nam cum Philoſophum Chriſtianũ agas, quò illuſtrior & maior es, ingenique & eruditionis gloria

præter cæteros magis abundas, eò tibi optabilius esse debet, vt quod lege concessum est, & omnium hominum vsu hactenus confirmatum, constanter adhuc retineatur: Vt liceat videlicet vnicuique vel PRAEIVDICIO aliquo, vel nullo, seruatis tamen semper honesti formulis, verum aut falsum, bonum aut malum, de aliorum scriptis editis, eiusmodi iudicium ferre ac scribere, quòd rationibus aut necessariis, aut probabilibus, defendere se posse putet.

Quare rogo te atque obsecro, D. Schecki, per nobilissimam professionem, & summam tuam, tuæque nobilissimæ scholæ dignitatem, vt ea modestia scribere pergas, quæ Christianos & bonos omnes decet, vocibusque istiusmodi posthac abstineas, quæ tua doctissima scripta multùm maculare possunt. Ecquid quæ so causæ nuper habuisti, quo te hac intemperantia

rantia eorripi sineres? Accusant me, inquis, quòd intra metas meæ professionis non maneam: Tu verò audi D.Schecki, est ne adeò grauis accusatio ista, vt tu vicissim causam tuam, istiusmodi iurgiis & maledictis agere debeas? Certè ego bonorum illorum accusationem, quicunque illi fuerint, (neque enim noui) ad bonum imò optimum sensum trahere possum, tuam verò grauiorem defensionem ne verbo quidem excusare auderem. Sed de re hac iterum audies inferius.

Nunc ad meipsum redeo, qui quamuis te amem atque obseruem, non committam tamen vt absque vlla mea defensione, me abs te peccati atque imprudentiæ accusari, homines in posterum audiant. Decreui igitur iterum apud Pios Ecclesiæ Christi ministros, & sacros Professores, apertè etiam magis agere, Id est illius meæ Præfationis interpretationem commentarii instar

obtinentem, paucis exponere. Hac nanque ratione, commodius fieri posse putaui, vt & consilii mei tota ratio, reprehensionisque tuæ efficacia eluceſceret: eorum præterea animos, qui ingenio meo incognito aliquam aut cogitandi, aut non bene de me ſentiendi anſam vel ex Præfatione mea vel ex tua reprehẽſione ſumere potuerũt, omni prorſus ſcrupulo liberarem.

Tu, id quæſo æquo animo patere, ita tamen, vt ſiquid offendã, iuſtè, modeſtè ac placidè iterũ me reprehendas, docéaſque: Non minus enim quæ docueris audire ac retinere, ſi placeãt, paratus ſum, quàm ſi à præceptore clariſsimo, chariſsimóque proficiſcerentur. Quòd ſi & ipſa, minus probata mihi videbuntur, non modo ea, verùm & alia etiam multa maioriſque momenti (ſi opus fuerit) ex tuis phyſicis commentarijs annotata, in alijs ſcriptis à me edendis, vel prælectionibus habendis (niſi forteſſe

ob

ob aliquam iustam causam mutare consiliũ cogar) cùm locus, & tempus postulabit, iterũ in vsum studiosorũ, vt fieri solet, omnibus videlicet Honestis formulis semper seruatis, perpendam. Neque enim ego, hisce me quotidianis Apologis nunc obligare volo, qui antea abistiusmodi exitiosõ scribendi genere prorsus abhorrui, & nũc maximè diuinis præceptis monitus, debeo abhorrere. Pergratum erit mihi quoad viuam, si sententias summorum virorũ de hisce physicis disciplinis (in quibus vt nonnihil sim, diu multumque laborandum mihi esse iampridem statui, quibusque mirabiliter semper delectatus sum) possim eruere: At, si hisce artibus & modis ad id consequendũ contẽdere oporteat, malo non modò in physicis, verum etiã in aliis omnibus scientiis omnino nihil esse, & iudicari. In primis autem rogatũ te volo, D. Schecki, vt eo modo scribas quo possis intelligi, id est quo nos scribere & loqui iubet Aristoteles. Hoc nisi 3. Rhet c. 4.5.6

feceris, præterquam quód de tua existimatione agetur, pàlam quoq; profiteor me scripta tua pro nihilo prorsus habiturum. Neque enim ego in tuis ænigmatibus enodandis & perplexitate verborum explicanda, operam & tẽpus consumere in præsentia volo. Quód si dilucida oratione, tuã nobis sententiam exposueris, dabimus operam vt tibi tuísque quotquot afferre valeas rationibus, opem ferente Domino, satisfiat. Sed ad alios atque ad ipsius Præfationis explicationem iam me conuerto: Tibi interim fœlicia omnia & fausta Christianè precor.

INTER-

INTERPRETATIO PRAEFATIONIS

D. Simonis Simonij. Primúmque de Occasione, Scopo & Argumento illius.

OMNIBVS vobis, viri optimi piissimíque, iam notam esse puto controuersiam illamomnium maximã, quam hostis ouilis Dei diabolus, inter Ecclesias nostrates omnes, & nonnullas Germanorum sparsit. Ex quo fonte ea fluxerit, quomodo item nimio aliquorũ feruore non tam Dei iudiciũ audientium quàm sua defendẽtium, in maximum ac planè exitiosum dissidium redundarit, quales item & quantas turbas inter multas gentes, & opti-

mos Principes excitauerit, atque adhuc etiam instigante diabolo in perniciem piissimorum virorũ excitet, nemo est qui nesciat,& si sensum aliquem pietatis habeat,ob id ipsum altè animo suo non ingemiscat. Cõtrouersia tãtùm pertinet ad alimẽtum, quod in cœna Domini à Ministri manib⁹ præbetur,& à nobis sumitur. De qua re D.Ioannes Brentius& D.Iacobus Andreæ insignis theologi Tubingenses,aduersus D.Henricum bullingerum & D.Theodorũ Bezam summos item piissimósque theologos Ecclesiæ Tigurinæ & Geneuensis, suis quibusdam postremis libellis, in hãc sententiam scripserunt. In cœna Domini ratione qua cibus & potus dicitur, verè & substãtialiter ipsissima caro & ipsissimus sãguis D.N.Iesu Christi cum pane & vino ad vescendũ & bibendum ita distribuuntur,vt manibus tractentur,& dentes ipsis infigantur:proindéq; ipsum corpus Christi cũ sua carne & suo sãguine per συνουσίαν

in

in ipso pane, sub ipso pane, & cũ ipso pane existens, realiter, verè, & propriè, præsentissimè præsens, atque impiis etiam & sceleratis sumentibus præsentius esse quàm ipsi sibi sint, & quàm Minister per cuius manũ Cœna dispensatur: quæ quidem omnia aut affirmare oportet, aut excellentiam instituentis Iesu Christi vnigeniti filii Dei vltimum suum testamentum, & efficaciam verborum quibus illud apud suos discipulos condidit, cùm nẽpe ait, HOC EST CORPVS MEVM, prorsus imminuere violaréque necesse sit: Ex altera parte D. Bullingerus & D. Beza, aliíque multi piissimi doctissimíque Germani, & presertim Illustrissimi atque optimi Principis Comitis Palatini Electoris Theologi, Heluetii, item Angli, Scoti & Galli omnes animaduerterunt, si nouum istud dogma admitteretur, Articulum Ascensionis corporis Christi in cælum, integrũ nullo pacto manere posse: Ascẽdit enim in

cælum corpus illud verum, humanũ, finitum,& paulò antè crucifixum, Apoſtolis ſpectantibus: vbi oportet illud capi quouſque tempora reſtitutionis omnium aduenerint, quo tempore iterum duntaxat rediturus eſt, ad iudicãdos viuos & mortuos. Affirmarunt item, Actionẽ Cœnæ in commemorationẽ mortis Chriſti inſtitutam eſſe, proindéque in ea ſpiritualẽ magis quàm corporalem alimoniam exhiberi: tandémque fieri non poſſe demonſtrauerunt, vt corpus vnum & idẽ numero, nẽpe Chriſti, pluribus ſimul locis diſtrahatur, vt immenſam magnitudinem habeat, vt per cælum terrámq; ſimul, actu diffũdatur, quin omnis humanæ naturæ Chriſti veritas tollatur. Quare iuxta ſacrarũ Scripturarum teſtimonia innumerabilia, & ſanã integrámq; intelligẽtiã Patrũ antiquiorũ, cõfirmarũt eam de cœna Domini ſententiam, quã à primis Eccleſiæ Chriſti temporibus, ad hunc vſque diem ſanctiſſimi viri abſque

vlla

vlla controuersia, constantissimè sequuti erãt. Sacrosanctam videlicet Cœnam à Filio Dei institutam quidem esse, vt nos communione sui veri corporis & sanguinis, in signo panis & vini, qua os ossium & caro carnis illius euaderemus, in certissima spe futuræ vitæ æternæ, suæ passionis & mortis merito nobis largitæ, aleret: Hanc tamen mãducationem & participationẽ corporis & sanguinis Filii Dei, non magica aliqua incantatione seu cõsecratione (vt miseri Papistæ putant) sed sola promissionis diuinæ efficacia locũ habere, & spiritualiter tãtùm, idest sola vi fidei effici, ita tamen vt non minus verè, imò longè verius, Spiritus sancti omnipotente efficacia, ore interiori, idest fide, Christi caro & sanguis manducetur, cáque manducatione fideles corpori Christi vniantur, & vna substantia cum illo efficiantur, quàm si ore corporis, panis & vinum, idest sacramentum

& ſignum ſumatur, dentibus atteratur, deglutiatur, carníque noſtræ & oſſibus noſtris in alimoniam & conſeruationem corporis agglutinetur. In ſumma, fatentur (non fruſtra iſta repeto) In Cœna Domini corpus illud ipſum quod pro nobis traditum eſt, & ſãguinem Domini pro nobis effuſum, nobis verè communicari, ſed carnem & ſanguinẽ realiter non eſſe vbi ſymbola ſint, ita vt manibus etiam & ore ſumantur, verùm ſacramentaliter tãtùm adeſſe, quòd ad ſenſus externos attinet, ideſt eo ſignificationis genere, quod non ſit vanum, ſed quo res ipſa quæ ſignificatur, verè & efficaciter ex Dei inſtituto nobis communicatur, ſicut ſymbola, externis ſenſibus fidem non dubiã ſed efficacem & certam faciunt. Quòd ſi in hac Cœnæ communicatione, nõ externos ſenſus tãtùm ſpectemus, ſed ipſũ etiã internũ ſumentis ſenſũ animũq;, ſpiritualiter

&

& sanguinem & carnem Christi, cũ omnibus suis promissionibus & donis nobis reipsa communicari per fidem, cuius fidei interuentu efficitur, vt nulla distantia locorũ impediat, quominus reipsa spiritualiter, vnum cum ipso Christo fiamus, à quo deinceps, vita illa spiritualis & æterna, quàm verissimè efficacissimèque promanet. Ad hæc, aduersariorum fundamenta, nullum in se robur, nullum etiam momentum, ad tam crassam causam sustinendã habere ostendunt, cùm sermo ille Domini ad suos discipulos metonymicus sit, qui passim in Scripturis vsurpatur, vbi de Mysteriis agatur, & ab eodem etiã Christo idem testamentum instituente, cùm inquit: Hic calix est nouum testamentum in meo sanguine. Addũt postremò, mirari se eos, qui nihil aliud agunt quàm vt perspicuas Scripturę locutiones in allegoricas & metonymicas transformẽt: hîc ita seueros li-

Luc. 22 Cor. 1. cap. 11

teræ exactores esse velle, vt vno verbulo se constringi sinant. Excipiũt alteri⁹ partis Theologi, vt se ab obiectis hisce nodis explicent, Christi corpus ascendisse quidem in cælũ, ibique esse, nec inde huc redire, aut Cœnę prętẽs esse corporali siue physico descensu, sed mirabili ac nobis imperceptibili diuinóque prorsus modo: Quare addunt hasce propositiones mutuò inter se non repugnare, nempe: Christus ascendit in cælum, corpus suum naturã propriam veram integrámque seruãs, supra omnes cęlos habens. Et, Corpus Christi, seu Christus secundum humanitatem est in pane & vino Cœnæ Dominicæ, est in plurib⁹ simul locis, est vbiq; nã cùm Diuinitas quæ vbiq; est, in vnitatem personæ assumpserit hominem, sequitur ipsam quoq; humanitatem assumptam vbique præsentẽ esse. Verba sanè tolerabiliora prioribus, & quæ ad bonũ sensum trahi potuissent, si

eorum

eorũ Autores ne fasces veritati sub misisse viderentur, vsitatis illis suis vocib⁹ deiecpsabstinuissẽt, nimirũ, realiter, substantialiter, corporaliter, verè, tãgitur, sumitur mãducatur, dẽtibus teritur, deglutitur, præsens est, corp⁹ Christi, caro Christi, Humanitas Christi, Christus secũdũ humanitatẽ, in pane, sub pane, cũ pane, in vino, in myriadib⁹ infinitis locorũ, vbiq;. Vnde alia inter eosdẽ Theologos quæstio orta est: An videlicet caro Christi vel Christus secundum humanitatem, vbique præsens esse dici posset. Tubingẽses illi Theologi, cùm crassitiem huius sui Dogmatis iã agnoscerent, verbáque prolata, & non semel scripta, neque reuocare neque tueri se posse animaduerterent, omnia sacra euoluere, tentare, experiri maluerunt quàm aduersariis suis, idest veritati locum cedere. Quid tandẽ? Cardinem totius controuersiæ petierunt. Nam articulum de incar-

Brẽt. de inc. pag 102. lin. 10. 114. 16. 106. l. 19. 105. l. 7. 11c. Andr. Thesi. 106. 57. 65. 97

natione Verbi ita tractare cœperũt vt ex eo vno ſuorũ dogmatũ firmiſſima fũdamẽta haurire ſe poſſe exiſtimarẽt, quibus & ſtabilirẽt priora, & vbiquitatẽ carnis Chriſti omnibus perſuaderẽt. Hic error prior & quęſtio maior priore, advnitatẽ hypoſtaticã duarũ naturarũ in vna perſona Chriſti pertinens. Statuũt illi hãc vnionẽ ſecũdũ energ{ia}am tãtũ, hoc modo, Verbũ ſeu Diuinitas ſecũdum ἐνέργειαν nõ magis in Chriſto vel humana Chriſti natura quàm in Petro & quibuſuis aliis hominib⁹ eſt: ſecundum verò energ{ia}am (quãdoquidẽ omnes Verbi, ideſt Filij Dei proprietates in Filium Marię in finitè effuſæ ſunt) Verbũ cum ſola humanitate Chriſti perſonaliter vnitum eſſe dicitur. Ac ſi dicant, Chriſtum vocari Deum, non quia ſit Deus eſſentia, magis quàm Petrus, ſed quia eius caro omnibus Diuinitatis dotibus, ideſt omniſcientia, omnipræſẽtia, omniiuſtitia, & omniſapien-

Brẽt. de incarn. pag 40. lin. 4. & pag. 43. lin. 22. Iac. Andr. Theſi. 30.

sapientia ornata sit. Et hoc ipsum Maiestatẽ hominis Christi, Sessionémque eius ad dexterã patris vocant. Vnde volunt effici: Quemadmodum Diuinitas Christi præsens est vbique, ita Christi humanitatẽ, in quam omnes Diuinitatis dotes transfusæ sunt vbiq; adesse. Nostri contrà, cùm intelligerent sola ista transfusione proprietatum diuinarum quantunuis aucta, fieri non posse, vt vnio in Christo diuersa ab aliis (Hypostatica nempe) cõstitueretur, & summę Christi Maiestati, summã, hac sententia iniuriam fieri, Nestorianæ hæresis Germanos illos accusare cœperunt, & ex verbo Dei, totiúsque orthodoxę & eruditæ vetustatis consensu docere, Christum verum & essẽtialiter Deum & Hominem dici nõ posse, nisi Verbum, ideſt vnigenitus ille Dei filius secũdum ὑπόστασιν, ita sit in vna illa carne, vt de solo Christo dici debeat ac possit, Verbum caro factum est: neque

Filium Mariæ Deum dici nisi ab οὐσίᾳ ipsa, quoniam alioquin aliæ etiam creaturę Dij dici possent, & nonnisi comparatè à Christo differrent. In eo item ob communicationem plenitudinis Diuinitatis, cum qua σωματικῶς, siue οὐσιωδῶς siue ὑποστατικῶς vnita est, inexplicabilem energiam reperiri, ita tamen saluis atque integris vtriusq; naturæ proprietatibus semper manẽtibus, vt nulla Sessio, nulla Maiestas quamuis summa de Homine Christo excogitari possit, qua Diuinitati quod Humanitatis est propriũ, aut Humanitati quod Diuinitatis, ita propriè ac per se adscribi possit, vt cũ Diuinitas Christi sit in Cœna & vbique pręsens, eius item caro & sanguis ita ibidẽ aut alibi præterquam in cælo adsit, vt realiter manibus tractari, sumi, atteri, mãducari, deglutiri queat. His in hunc modum vltro citróque ab vtriusque partis Theologis non semel exagitatis, cùm iam feruor ille

scri-

scribendi, respondendi, & conuiciandi aliquantulum refrixisset, animis rectius compositis, Saniores quidam Tubingensis scholæ homines, secum cogitare cœperunt, non minimam esse infamiam veteris hæreseos, in quam sui nimio suorũ dogmatum defendẽdorum studio incidissent, sed iandiu omnibus Christiani nominis exosam. Quare præter cæteros D. Iacobus Scheckius insignis in Germania Philosophus, statim libellum quẽdam edidit, in quo nouis quibusdam nõ vocabulis, sed veterum Scholasticorũ vocabulorũ significationib⁹, sũptis etiam adiumẽtis iis quæ potuit ex physicis disciplinis, in bonũ quẽ ipse putauit sensum, suorũ sententiã trahere & tueri conatus est. Sed male res illi cecidit: nam præterquam quòd nihilo plus inuenit & attulit, quo dogma suorũ tolerabilius iudicari posset, quàm quod antea D. Brentius attulisset, vi etiam illa

& efficacia præpotente veritatis, nolens & aliud quiduis agens coactus, id ipsum de vbiquitate carnis Christi sæpissimè in suo libello inculcauit, quod Ecclesiæ nostræ semper affirmarunt, suis verò Theologis disertè repugnat. Hoc certè vnicuique intuenti, aut saltem nō prorsus oscitanter legēti verba D. Scheckij, certissimam & clarissimā Dei veritatem indicare potuit. Mirum tamen est quod accidit. Omnes aduersarij nostri, non bene pōderatis, aut etiam non perlectis rationibus D. Schecki, sola nescio qua opinione de libello ob Autoris existimationem concepta, vulgari more adducti, triumphum de iis petere & clamare superbientes cœperūt, qui tamē victores ab aduersariis etiam suis iudicati fuissent. Hoc cùm alius quidā Germanus vir pijssimus & in omni eruditionis genere clarus atque insignis (nomen eius non diu alios latebit ni fallor) animad-

uerte-

uerterer, veritus ne homines eiuſmodi ita cæcutientes, plus nimio in dies fæuirent, alio quodam libello ſcripto, interpretem argumentorum Scheckianorum agens, demõſtrauit, ſententiam D. Scheckij nullo modo à noſtra alienam eſſe, eiuſdémque rationes non aliis quàm noſtris partibus patrocinari. De rationibus ſat cõſtabat: De διάνοια D. Scheckii iudicium lubricum erat, cùm præſertim in libello ſuo nos non ſemel vt aduerſarios tractet: quarè optimus ille Anonymus interpres, hominum temporumque rationem habens, modeſtè & Chriſtianè Scheckianos conatus diſſimulans, ex rationibus potius quàm ex verbis de illius mente iudicare maluit. Hoc ſcriptum cũ in manus meas aliquando veniſſet, auidè non modò ſemel perlegi, quòd ab homine excellenti proficiſceretur, ſed decies etiam, quòd audirem, idem prorſus iudicium de D. Scheckii li-

Pag. 64 & 66

Pag. 2

bello ab eo ferri, quod ego multo antea interrogatus,& rogatus non ſemel apud multos, & ipſum præſertim D. Bezam conſtantiſſimè tuleram. Quid multis? Scriptũ interpretis Anonymi, digniſſimũ quod in vſum Eccleſię aliis impertiretur, iudicatum eſt, fideique & curæ meę mandatum, vt quamprimum opera D. Ioannis Criſpini ederetur. Cæterùm hîc ego, cùm de pernicioſo & cõmuni periculo, ex hac cõtrouerſia imminẽte cogitarem, obſcurámque D. Scheckii mentem, ſummam eius autoritatem, peruicaciámque eorum qui optimè omnium animum illius noſſe poterant, animaduerterem, ſtatui non ab re fore, ſi Prefationem ciuſmodi cum libello Anonymi meam exire paterer, quę ex verbis Scheckianis, quibus noſtri Theologi vt aduerſarij & improbi tractantur: ſenſum D. Scheckii aduerſum quidem eſſe declararet, rationes tamen illius quæ præ-

præsertim ex physiologia desumun
tur, quæque incautos & minus exer
citatos facilius decipere potuissẽt,
nullum momentum habere ad vbi
quitatem carnis Christi tuendam,
moneret: neque tamen iudicio A-
nonymi repugnaret cùm is idcirco
Scheckianas rationes laudaret, quo
niam à sensu animi recto eas profi-
cisci supponat, Prętatio verò nostra
illas dãnaret, quòd à non recto sen-
su prolatas esse præsumeret. Hac ra
tione fieri etiam posse putaui, vt ali
quando D. Scheckius sese prodere
cogeretur: interim verò cæci illi
qui plus nimio hominibus sunt ad-
dicti, nonnihil excitarentur, aperi-
rent oculos, iterum legerent, euol-
uerent, acutius expenderent ratio-
nes Scheckianas, tãdẽque fortasse,
quod res est perspicerent, mitioréq-
que efficerentur. Exiit ergo libel-
lus cum Prætatione. Paulò pòst re-
scripsit D. Scheckius, meúmque de
aduerso suo sensu conatúque inte-

grum iudicium reliquit, de qua re postea agemus. Nunc occasione Præfationis edendæ exposita, paucis illius argumentum & summam (neque enim grammaticum aut oratorem hîc agere volo) complecta mur, mox ad illius partes explicandas & probandas accedamus. Præcipua præfationis ὑπόθεσις est, Monere omnes pios Ecclesiæ Christi ministros & professores Sacrarum literarum, ea quæ D. Scheckius in suũ libellum ex physicis sumpta congessit, & ad vbiquitatem Christi secũdum humanitatem astruendam accommodauit, nullum prorsus aduersus nostras Ecclesias momentũ habere: idque adeò esse perspicuum, vt neque etiam responsione vlla futurum esset opus, nisi verendum fuisset, ne existimatione & authoritate Hominis, error quorundam imperitorum magis confirmaretur. Cur nullum eiusmodi rationes momẽtum habeant, cau-

sæ

sæ statim exponuntur: Prima & generalis est, quia tantum abest vt ex physiologia eius dogma defendere possit, vt quiduis potius aliud illa clamet ac postulet: Altera & specialior, quia quæ D. Scheck. ex physicis deprompsit, & ad sua accommodauit, partim nullius sunt per se momenti, partim verò non satis bene expositæ, atq; aliò etiã quàm oportuisset traducta sint. Reliqua quæ hanc ὑπόθεσιν sequuntur, ad libellum interpretis Anonymi commẽdandum pro meo munere, & Typographi laudem pertinent. Quæ verò præcedunt, de Scheckiana actione, de obscuritate scriptorum eius, & mea in illum obseruantia, eò pertinent, vt quasi prẽmonerentur Lectores, cur non vnũ & idẽ, sed diuersum iudicium, de διάνοια D. Scheckii in præfatione & in Interpretatione inueniretur: vt D. Scheckius de suo officio Christianè moneretur, & intelligerent omnes

me nulla prorsus maleuolentiæ aut æmulationis labe infectum, sed candido atque sincero animo, studio veritatis (vt licet omnibus) sententiã meã de hac re protulisse. Hæc illa sũt, quæ neq; rectè neq; prudẽter à me scripta esse in ea Præfatione D. Scheckius ait. Quare his positis, antequam ad particulia ria veniam, generatim aduersus illius reprehẽsionem in hunc modum placet argumentari. Omnis Actio quæ optimum honestissimúmque finẽ propositum habeat, prudẽter efficitur, Præfatio mea optimũ, honestissimum præstantissimúmque finem propositum, habuit: ergo. Propositio nota est, si natura officiúmque prudentiæ spectetur. Etenim sola prudẽtia est quæ versatur in iis quæ non tali homini, sed homini simpliciter bona & mala sunt, bonáque deligit: Atqui, homini simpliciter bonũ est virtus, id est, vt appetitus dominetur. Hoc verò bono nil honestius

neſtius aut nil excellentius homini agenti poteſt accidere: vnde rectè ſequitur prudentiæ vim in eo primùm, potiſſimúmque elucere, vt virtutem colamus, vitiis omnibus quantum fieri poteſt expulſis, proindéque eius finem optimum ſemper atque honeſtiſſimum eſſe. Neque hîc mihi obiiciat D. Scheckius Philoponum in Analyticis, qui artem etiam militarem cui victoria propoſita eſt, quæ honeſta & turpis eſſe poteſt, nomine Prudentiæ comprehendiſſe viſus eſt: Nã de Prudentię nomine hîc loquimur, ſicut propriè tantùm accipitur. Aſſũptionem probo. Optimus atque honeſtiſſimus omniũ finis homini virtꝰ eſt. Vnde pręclarè Critolaus dicebat, Si in altera librę lãce, cũcta & fortunę & corporis bona ponerẽtur, in altera ſola virtus, hãc qua virtus contineretur tantũ ponderis habiturã, vt Terrã & Maria ſit depreſſura. Verſatur hæc & cernitur tã in iis per quæ Reipublicæ, quàm per quę nobis prouidemus.

1. Ethic. cap. 4

6. Ethi. cap. 8. cap. 5. & ib. Auer

Nõ enĩ minus falsò quàm à Simonide de cõtẽplatione, ab Euripide de actione dictũ est: Eos videlicet qui plurib⁹ se reb⁹ implicãt, Deo odio esse, quinimo nihil illi gratius facere nemo potest, quã hãc hominũ societatem, omnib⁹ officiis tueri & conseruare. Itaq; Aristot. hãc ipsam ob causã, Sermonẽ homini datũ esse docet, nempe vt vtile & inutile, iustũ & iniustũ declararet, quorũ cõmunicatio politiã efficit atque cõseruat. Cæterùm hæc mea Præfatio vtrunque horum munerum respicit, in quibus virtus cernitur. Primùm enim quod ad me attinet, non discessi ab ea virtute de qua Aristoteles in tertio Ethico in hanc sententiam loquitur. Est quædam virtus, quæ in sermonum communicatione potissimùm cernitur, quæ quia ad similitudinem verè amicitiæ accedit Amicitia appellatur, differens ab illa, quòd minorem amoris affectum adiunctum habeat. Hæc in eo spectatur, cùm eorum quibuscum aliquo modo

1. Meta. cap. 3.. 6. Ethi. cap. 5

1. Pol. cap. 2

Cap. 7

modo versamur, neque laudamus omnia, neq; vituperamus, sed quæ probãda & vt probanda sunt probamus: contraria autem non probamus, non quòd amemus, aut odio prosequamur, sed quòd ita decere, ita honestũ esse iudicamus. In officio ergo virtutis mansi, cùm in Præfatione dixi de D. Scheckio, quem cùm ob Christianismi vinculum, tum ob studiorum similitudinem, non modò amabam, verùm etiam animo obseruabam, ipsum nimiam obscuritatem in suis scriptis affectare, nec debuisse clarissimam Dei veritatem dialecticis quibusdam prædicationibus VRGERE: & in summa, quæ attulit nullum aduersus nostros Theologos habere momentum. Quantum autem ad politiam Christianam attinet, quæ vt omnibus modis integra & recta conseruetur, omnibúsque impuris dogmatibus perpurgetur, vnusquisque bonus pro viribus studere sedulóque eniti debet, aut nihil ego in eam hac

mea Præfatione, & hoc consilio exposito peccaui, aut id ciuile posthac non erit quod communionem vitæ affert. Postremò quod hac mea præfatione D.Scheckium, ad suam διάνοιαν planius explanandam, quodammodo cogere voluerim, aliósq; Endimionis somnum obdormientes excitare, non poterit quis velit nolit, non ad διανόητα referre: quam si propositum sit honestum, laudabilem in prudente esse fatentur omnes. Reliquum est in præsentia vt probem, me Rectè, id. est cum ratione (rectè nanque loquitur qui vera & conuenientia dicit, teste Alexandro) cognitóque D.Scheckii consilio, necnõ libello perlecto, operam eius & rationes damnasse, Hoc autem Interpretatio partium meæ Præfationis demõstrabit. Quarè iamtãdem ad ipsam deueniamus.

5. Ethi. cap.6

6. Ethi. cap.12

1. Top. in præf.

Præfationis formula.

Editus est anno superiore D.Iacobi Scheckij libellus, quo vbiquitatem carnis Christi nouo quodam modo tueri conatus est.

De

De libello edito sat constat. Quòd vbiquitatem carnis Christi tueri voluerit, cognosci item facillimè potest: nam quæ primo loco de energ‡a officióque personæ Christi Domini seruatoris nostri, proprietatibúsque naturarum quibus constituitur persona Christi, quæ etiam postremo loco de maiestate eiusdem personæ disputat, eò spectant omnia, vt vbiquitas Humanitatis Christi defendatur. Hoc fatetur etiam doctissimus Anonymus in sua Interpretatione. Et sanè ordo quam proponendis suis disputationibus seruat ipse D. Scheckius, id perspicuè confirmat. An verò nouus sit ille modus, quo hanc vbiquitatem tueri voluit, ex iis quæ inferius afferentur liquere poterit. Tantùm dicam, D. Scheckium ex hoc vno verbo agnoscere debuisse, quonã PRAEIVDICIO ad sua damnanda impulsus fuerim. Omnia siquidem nouavalde mutant afficiúntq;. Voco autem in præsentia nouum, non magnum & mirã-

pag. 2. & 119

pag. 3

dum aliquid, ſed recens quiddam à
Auer. in diſp. 11. ſol. 1. d voluntate D. Scheckii, præcedẽte (vt loquuntur) priuatione, profectũ. Nuſquam enim antea modus hic quo ille ſuorum ſententiam tueri conatur, auditus eſt. Atquî, noua omnia placent (ait ille) videamus ergo aniſte modus placere poſſit, Et primùm generatim: An non nouum illud, aſperrimum & moleſtiſſimum omnibus accidit, cũ nimirum audiunt D. Scheckium, ſententiam ſuorum aduerſus nos iiſdem argumentis & rationibus adhibitis velle tueri, quæ ei diſertè repugnant, quibúſque nos illam oppugnare ſolemus? Contrariorum effectuum, poſthac non erunt contrariæ & immediatæ cauſæ, neque ſimile à ſimili amplius conſeruabitur, vel à contrario corrumpetur. Concluſio Theologorum Tubingenſium eſt. Corpus Chriſti ita verè & ſubſtãtialiter in Cœna Domini præſens eſt, vt manibus tractetur, ore ſumatur, dentibus atteratur, deglutiatúrque, & vbique præſentiſ-
1 de ortu & int. 56. 4. mete 35.

ſimum

simum. Hanc conclusionem probat D.Scheckius huiusce modi assumptione, quam sexcentis in locis sui libelli inculcat: Christi Natura humana per se, naturaliter, essentialitérque in vno quodam loco est, nempe in cęlis, neque per se neque absolutè neque essentialiter vbique præsens est, vt vbiq; est ipsius diuinitas, sed personaliter tantùm, idest propter vnionem personalem quæ humanitati cum natura intercedit. Item aliquando hac ratione vtitur. Christus homo secundum humanam naturam nō est vbique. Item hac. Christi persona non est ita alicubi vt non sit vbique, ratione tamen naturæ humanæ non est vbique sed alicubi. Hanc repugnantiā ostendit doctissimus Anonymus sua interpretatione, ad quem tamen D. Scheckius ne verbum quidem vnum quod rei summum argumentum attingeret respondere voluit: tantùm appendices quasdem refutauit (id quàm fœliciter postea liquebit) vt suę

Scheck. pag. 44. 45. 49. 91.

pag. 60.

pag. 55.

doctrinæ copiã, proindéque aliquid se sẽper dicere & respondere posse ostenderet. Interea tamen, nos quorũ sententiã nolens sequitur, volẽs dãnat, aduersarios & inscitos vocat: suos verò quos inuitus pessumdedit, vt peritissimos Theologos amplexatur. Certè (vt libere dicam) de ἀναισθησίᾳ D. Scheckii acutissimi viri, nondum aliquid suspicari possum: de integritate verò conscientiæ quid sentire debeã, dubitare cœpi. Et sanè nemo est, qui de illo veritatis amore studióque, toties in ipsius omnis generis scriptis inculcato, ansam dubitandi ex hac ipsa re sumere iure non possit. Sic enim scribit Eustratius, cùm de veritatis studio loquitur, Aristotelis verba explicans. Licet, inquit, amici sint qui Ideas constituerunt: præstaret tamen potius quàm honore eos afficere, non solùm amicorum decretis aduersari, verùm etiam sua quemque euertere, vt veritas seruetur incolumis, & non intereat occultata: atque hoc præsertim

1. Ethi. cap. 6

tim Philoſophi munus eſſe debet, qui "
niſi nomẽmentiatur, veritatis ſtudi- "
oſus eſt: ſapientia nanque quam affe- "
ctat, in immobilibus immutabilibúſ- "
que, proindéque in veritate, quę con- "
ſtans & ſtabilis eſt, verſatur. "

Qua ex re prudens quiuis & bonus duplici admiratione affici iure potuit: vna quód dogmata Theologica ſolo verbi Diuini ſenſu ſtatuenda ponendáque, vi quarundam prædicationum Dialecticarum quaſi VRGERE *voluerit: altera quod licet ſe* διαιτητὴν *in hac Theologorum controuerſia conſtituat, ea tamen obſcuritate & ſermonis & ſententiarum iudicium profert, vt neque aduerſariorum partes audiuiſſe, neque has magis quàm illas reprobaſſe aut refutaſſe pleriſque videatur.*

Omnes ſciẽtiæ ſunt quibuſdam quaſi vinculis mutuò inter ſe connexæ. Quandoquidem, quauuis plures ſint ſpecię ſi vis rationis ſpectetur, vna tamen genere ex natura rei ſcientia eſſe videtur. Id liquet, ſi cauſa conſideretur ob quam ſcientiæ fuerint inuentæ, nempe Res, quæ rationem & or-

dinem inter ſe generis & ſpecierum omnes ſeruãt. Nam quemadmodum viri docti animaduerterũt, nulla cauſa eſt cur potius dicamus hominem & aſinum ad eam ſcientiam pertine re, ad quam genus ipſorum proximũ attinet, nempe animal, quàm ſubſtãtiam mutabilẽ & æternã ad eam facultatem ſpectare, quæ vniuerſè ſubſtantiã conſiderat, ideſt qua vtraq; vt genere continetur, & quam ſubſtantiam aliáſque Categorias ad eam ſcientiam referri ad quam pertinet Ens (niſi quis analogicam, vt dicunt, prædicationem obiiciat, quæ tamen ſubiecti vnitatem non tollit) omnia nanque eandem rationem ad vnum genus obtinent, proindéque generũ & ſpecierum mutuam inter ſe analogiam habent Et ſanè ſi Ariſtoteles Geometriam & Arithmeticam cognatas ſcientias & συγγενεῖς vocat, Alexandro teſte, cur nos Naturalem & Diuinam nõ item συγγενεῖς vocabimus? Non erit igitur ſciungenda ſubſtãtia æterna

4. met. cap. 1

1. Top. cap. 2.

æterna & mutabilis à ſciẽtia quæ ſub ſtantiam vniuerſè tractat, quemadmodum neque Categorias â ſcientia quæ Ens vt Ens cõtemplatur, auellere oportet, quum eadem vtrobique analogia reperiatur. Hoc ſtabilitur verbis illis Ariſtotelis in quarto Metaphyſicorũ poſitis, quæ ita habent. Quapropter & eius quod eſt, vt eſt Ens, quæcunque ſunt ſpecies & ſpecierum ſpecies, vnius ſcientiæ genere eſt contemplari. Quicquid enim ibi Alexander, Auerroes, & Thomas aliiq; afferãt (de Scoto nõ loquor qui contextũ inuertit) ſẽper cuincam illud quod Ariſtot. primo poſt. analy. docet, ſcientiam videlicet vnam eſſe quæ vnius generis partes & paſſiones conſiderat, ideſt ſecũdum propriam naturam, ſecus enim παντολογίας accuſandus eſſet, vt conſtat. Neq; obſtãt quæ Ariſt. de Metaphyſica ipſa prius retulerat. Omnia nãque optimè hoc modo expoſita cohærere, ſatis eſt ab aliis oſtenſum. Verba item illa quę in

cont. 2

cont. 18

primo metaphyſicorũ. habuit nẽpe πρῶτον μὲν δεῖ ἐπίστασθαι, μάλιστα πάντα τὸν σοφὸν ὡς ἐνδέχεται, μὴ καθέκαστον ἔχοντα ἐπιστήμην αὐτῶν, hęc inquam naturam rei non tollunt, ſed Metaphyſici munus & præſtantiam arguunt. Ex hoc ſolo fonte ortus partium omnium Scientiarũ, atque earundem deſcenſus & aſcenſus cauſa reddi commodè poteſt. Quanuis autem vna ſçientia genere ex natura rei ſit, multiplex tamen ab Ariſtotele
6. met. propoſita eſt, obcommodiorem tractandi occaſionẽ. Cuius commoditatis reſpectu, de problematum etiam dialecticorum numero ſe ſtatuiſſe, primo Topico diſertè pronuntiauit. Ex vnica ergo ſcientia tres illas præcipuas extudit, θεωρητικὴν, πρακτικὴν, ποιητικήν. Ex ſpeculatiua, Phyſiologiam, Mathematicam, Metaphyſicam: Ex Mathematica, Arithmeticã, Geometriam, Aſtrologiam, Muſicem, aliáſque ſcientias medias. Ex Practica, quæ alio
1. Ethi. cap. 2. 4. nomine Politica vocatur, Ethicem, OEconomicem, & quæ Politica nomine

mine generis nuncupatur. Ex effectiua, Artes Mæchanicas: Aquibus deinceps omnibus Dialectica & Rethorica ortum ſuum habuerunt. Quibus autem terminis ſecundum hanc rationem, definita & circunſcripta vnaquæque ſcientia ſit, quantúmque extendatur, liquet. Nam & vnaquęq; ſuam ſubiectam materiam in qua verſatur, habet: & non poteſt vna ad illas ſui ſubiecti generis ſpecies tranſire, quæ ſuum genus ſubiectũ extra propriam conſiderandi rationem (vnde formalem vnitatẽ accipit) deducere poſſint. Cæterùm paucis totã rẽ hãc proponamus: pertinet enim ad id de quo ſumus acturi. Theologia tum de ſumma omnium rerum & pręſtantiſſima cauſa, nempe de Deo tractat, tũ de primis effectis, quæ ab illo proficiſcũtur, cuiuſmodi ſunt, Ens, Verum, Bonũ, Vnum. Reliqua nanq; omnia (hoc nõ potuit percipere Petr⁹ Ram⁹ egregi⁹ Sophiſta pariſiẽſis in ſuiſcholiis metaph. nuper editis) quòd ſint q̃

theologia

intelligi possint, quòd sint bona, quod sint vnum quiddam, Deo acceptum referunt. Mathematica quantitatem tanquam quiddam per se subsistens considerat, cuius duæ sunt species, Numerus, Magnitudo. Magnitudo per se spectata pertinet ad Geometriam, vt mouetur ad Astrologiam: Ita numerum per se Arithmeticus spectat: vt verò motum quendam in animis sensu efficit, Musicus cõtemplatur. diligentius ista hoc tempore non sunt persequenda. Physiologia Cælũ Elementa, Mixta ex his corpora, Stirpes, Animalia tractat. Artium verò ad humanas res pertinẽtiũ, Quę dereb⁹ sub actionẽ cadentibus agit, ita se habet, vt partī in elemẽtis quibuscã politię tradendis yersetur, partī in œconomia, partim verò in ciuitate rectè atq; ex virtute administrãda. Subiecta materia est Homo, Domus, Ciuitas: finis illi applicãdus, actio decẽs & prudens simpliciter, cum administratione familiæ, cum politiæ institutione.

Postremò

Postremo quæ harum omnium disciplinarum pediſſequæ & miniſtræ ſũt, vt Dialectice pro fine, certas definiẽdi, diuidendi, argumentandíque rationes, ex neceſſariis aut probabilibus, propoſitas habet. Rhetorice verò per veriſimilia in omni quidem arte, ſed in rebus ciuilibus potiſſimùm vult dicendo & argumentando perſuadere. Ex his patet, vnam ſcientiam altera latiorem eſſe & communiorem, huic proximiorem, illi remotiorem, proindéque ad hanc deſcendere, aut aſcendere, ad illam minimè poſſe. Quæ omnia Ariſtoteles in poſterioribus analyticis, paſſim & pro tractationum opportunitate, nobis ſcripta reliquit. Verũtamen illud hiſce omnibus diſciplinis conuenit, vt à principiis quæ ſenſui accõmodata ſunt ortum duxerint, quod diſertè docemur tertio de anima libro, primo de part. animaliũ & primo poſt. analy. ab Ariſtotele: Proindéque Theologia humana (de hac nanque iam nobis loquendũ eſt) quòd ex rebus rebus naturalibus ſen

Cõt. 19.
Cõt. 14 c. 5

ſu perceptis acquiritur, τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ inſcripta eſt, atque ſuprema nuncupata, quòd in altiſſimo illo gradu ad quem ſenſus noſtri poſſint aſcendere ſit collocata. Cognoſcim⁹ ex ea Deum eſſe naturam ſimpliciſſimã, actum ſincerum, ab omni mortali cõcretione immunem, ſeipſum intuentem, in ſeipſo reliqua omnia perfectiſſimè intelligentem, fortaſſe etiam omnibus conſulentem, prouidentem, benigniſſimum eſſe iuſtiſſimúmque. Verùm eſt alia Theologia aut Philoſophia (ſi Baſilii & Greg. more loqui volumus) quę nõ de ſẽſib., ſed de ipſo Dei ore accepta eſt, verior excellentiórque priore. In ea accepimus, quæ quamtunuis illuſtre naturæ lumen aut mentis noſtræ captum, infinitè ſuperãt, quæque maximè naturam Dei attingunt: Deum videlicet infinitam vim habere, omnia ex nihilo creaſſe, vnum & trinum eſſe: veriſſimè benignum, veriſſimè iuſtum: quandoquidem electorum ſuorũ gratia Verbũ

ſeipſum

seipsum exinaniuit, formam serui, id est carnem humanam accepit, atque vsq; ad mortem (mortem inquã crucis) passus est. Hæc inquã Theologia nostri ingenij vim infinitè excedit, neque ratione vlla humana inuestigari potest, imò si neq; ea etiam quæ sub sensum cadunt assequi omnia possumus, sed in plerisque decipimur, multò certè minus illius supremæ & præstantissimæ substantiæ Dei, quæcunque intelligi possent, homo poterit inuestigare. Vocatur istiusmodi Philosophia verè prima, verè veritatis scientia, atq; illius quæ omnis veritatis principium est, quam non aliunde haurire possumus quàm ex ipsa Sapientia induta carne, idcircóq; Christus quodam in loco dicebat: Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mũdum, vt testimonium veritati exhibeam. Et Paulus, Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suũ. Dicitur aliter, Theologia reuelata, Ioan. 8. 1. Cor. 2

d. i.

cuius gradus Thomas enumerat in
Cap. 1 quarto libro contra Gentes. de qua
« etiam ita loquitur: Probanda autem
« est hæc Theologia autoritate sacræ
« Scripturę, nō ratione naturali, sed ta
« men ostendendū est, q. rationi natu-
« rali nō sit opposita, vt ab impugnatio
« ne infidelium defendatur. Alibiverò
ostendit idem Thomas, quænam illa
1. cōtra sint quę ostēdi oporteat nō esse oppo
Gent. 3 sita naturalib⁹ principiis, quū inquit:
« Sensilia ad hoc intellectum nostrum
« ducere nequeūt, vt in eis diuina sub-
« stantia videatur quid sit, cùm sint ef-
« fectus causæ vim non adęquantes, du
« citur tamen Mens nostra ex sensi-
« bus in cognitionem, vt cognoscat de
« Deo quia est, & alia huiusmodi quæ
« oportet tribuere Deo, vt primū prin-
« cipium est. Imò & in iis etiam quæ tri
buuntur Deo vt primum principiū
est, ob nubē quæ assiduè à crassa phā-
tasia nostra attollitur, non parum de-
Sec. Sec cipimur. Quod Thomas alibi his ver
q 1. art. bis expressit: Ratio enim humana in
4
rebus

rebus Diuinis est multum deficiens: « cuius signum est, quia Philosophi de « rebus humanis naturali ratione per- « scrutantes, in multis errauerunt & si- « bi ipsis contraria senserunt. Vt ergo « certa & indubitata cognitio apud ho « mines de Deo haberetur, oportuit vt « Diuina eis per modum fidei tradere- « tur, quasi à Deo prolata, qui mentiri non potest. Discant ex his qui suo ingenio nimium freti, totam naturam Diuinam existimant suo intellectu se posse metiri: quam tamen tunc tantùm verè cognoscimus, quãdo ipsam esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possit. Hoc vult Paulus cùm monet, vt caueamus ne decipiamur per vanam Philosophiam, idest traditiones hominum, quę eatenus tantùm vanæ sunt, quatenus id tentant efficere quod nequeunt, & suo fine frustrãtur, quo etiam modo Aristoteles plerunque argumenta veterum vana vocauit. Tradita autem & ab homine inuen- Colos.2

ta sunt, quæ eius sensui tantùm & iudicio fuerunt accommodata, vt alibi Paulus explicat cùm ait: Iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, habentes Mentẽ tenebris obscuratam. Ex quibus omnibus elicitur primùm, nullam apparere occasionem qua à Theologia humana ad Diuinam transire liceat: siquidem neque vt à parte ad totam seu communem, neque vt à parte ad partem propriè subordinatam aut etiam ad particularem non subordinatã (quas occasiones de vna in aliam scientiã trãseũdi proponit Auer.) trãsire in his liceat, ob primorum principiorum vim vndequaque discrepantem. Corruptibile nanque ab æterno plusquam genere differt, ait Aristoteles alibi: Elicitur secundò, non omnia quę de Deo per sacrosanctam Theologiam piè habentur, ex fundamẽtis naturæ posse confirmari: Tertiò, eos qui maiorem fidem naturali rationi quàm par sit Manichæorum similes habent,

Ephes. 4.

1. post. com. 60

habent, non minus errare,& ſua importunitate multorũ Hæreſeon cauſam eſſe,quàm alios, qui cùm contrà ignaui & inſciti nullam phyſiologiæ rationem habẽtes, à Themide Pallade (vt ait Marſilius Ficin⁹) miſerabili diuortio ſeiungentes,tandémque nõ intelligentes quàm noſtra hæc cognitio naturali ratione fulta ad teſtimonia Diuinę veritatis cõducat, omniũ ſuperſtitionum fontes extiterunt. Et ſanè eò ſemper, bonus quiuis & prudens,qui de Philoſophia humana benemereri cupit,oculos intentos tenere debet, nempe vt cogitet nos eſſe homines,idcircóque non poſſe mente propria conari integram præpotẽtis Dei maieſtatem aſſequi, quin ſtatim oſtendamus inſignem & nefariam audaciam, qua ſignificemus, æquales Deo nos eſſe velle: vt tandem meminerit nobis impoſitum eſſe vt credamus, quod certè nunquam Magiſter ille & ſumm⁹ Doctor iuſſiſſet, ſi quæ credi oportere docebat, ratio-

Lib. de relig. Chriſt. cap. 1

ne naturali fulciri potuissent. Quemadmodum etiam non iussit nos credere: Entia esse plura, Moueri omnia aut quædam, Ignem calefacere, Animam rationis capacem, esse hominis formam, aliáque huiusmodi. Hanc modestiam, vt potuit, Aristoteles etiam noster vbique seruauit. Primùm enim quęvno in loco physicè docuit, alibi ex fide affirmare aliter voluit. De vnitate mentis humanæ nemo amplius dubitat, qui illius scripta de anima legerit, numerum tamen humanarum animarum ostendit primo Ethico. Item de cognitione & prouidentia Dei, non vno semper modo loquutus est: alicubi nanque physica ratione ductus, Deum vnica & simplici voluptate gaudere, non habere externam operationem, tantũmodo se ipsum intelligere dixit: alibi tamen disertè, Deum esse omnibus & singulis prouidentem, videre omnia, curare res humanas, amare bonos, illisq; benefacere affirmauit. Mox, loquens de

Cap. 15

7. ethi. cap. vlt. 7. pol. c. 3. 12. Met. 37

de physicis in quibus aliquid enuntiauerat, aut enuntiaturus erat, quod ipse fortasse non credebat, puta de cælo quòd esset sempiternum, quòd extra illud neque vacuum neq; tempus, neque locus existeret, vt se physica tantùm ratione fultum ad ea asserēda impelli nos doceret, nō veritus est ita loqui: Quòd quidem sempiter " num, neque augmentum habens, " neque decrementum, sed insensile, " inalterabile, impatibile sit primum " corporum si quis suppositis credit, ex " iis quæ dicta sunt perspicuum est. Iā " ergo concludamus theologiam Christianam, & physiologiam, facultates inter se ita distinctas & discrepantes esse, vt vna qnòd alterius est propriū, ponere nullo modo possit. Theologia quidem præstat & Domina est, regens & coercens physiologiam, eámque in officio ancillæ continens: contrà physiologia, nihil habet, quod Theologiæ præscribat. Quua propter rectissimè in mea Præfatione dixi,

2. œcon cap. 3
1. œcon. c. 1 2. 4
.10. ethi cap. 8
1. Cœli 100

Dogmata illa Theologica, quæ D. Scheckius non modo physicè tractare sed vrgere etiam voluit, solo sensu verbi Diuini statuēda esse ponēdáq; eiusmodi hæc sūt, Verbi incarnatio, idest duarū naturarum in vna persona Christi hypostatica vnio, Manducatio corporis. D.N.Iesu Christi in Cœna, Sessio eiusdem ad dexteram Patris. Socium habeo in re hac Thomam qui aliquando ita loquutus est, Principiò ea tractanda sunt quæ de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est Cōfessio Trinitatis: mox de iis quæ à Deo supra rationem sunt effecta, vt opus Incarnationis, & quæ ipsam consequuntur: postremò ea quæ supra rationem in vltimo hominū fine expectantur, sicut Resurrectio & Glorificatio corporū. De quibus dogmatibus cum se loquutum esse diceret, alibi hæc protulit: Singularis verò modus conuincēdi aduersarium contra huiusmodi veritatem est, ex autoritate Scriptu-

4. cōtra Gent. cap. 1

ræ miraculis diuinitus confirmata, quæ nanque ſupra humanam rationem ſunt, non credimus niſi Deo reuelante. Non omnino igitur verum eſt quod D.Scheckius de hac re loquens,in præfatione ſua ad Illuſtriſſimum Ducẽ Vuirtembergenſem ait: Nẽpe Si qui erunt quibus hæc videbuntur φιλοσοφικώτερα, illi ſic cogitent, difficilium quęſtionum, non facile eſſe explicatus, & in talibus diſputationibus, populares rationes, maius habere ad fallendum momentum, quàm ad erudiendum & explicandũ verum ponderis.Fateor quidem Philoſophi munus eſſe, quantum & quibuſuis rationibus poteſt veritatem Dei,confirmare non ſtatuere,metho do expolire non vrgere,illuſtrare, nõ ponere,&vnà fateor eruditi hominis eſſe, cognoſcere quid in vnaquaque re decẽs ſit.Scholaſtici omnes, (quorum autoritate hîc libẽter vtor quòd D.Scheckius Scholaſticorum viam ſe eſſe ſequutum profiteatur,& quòd

1.ethi. cap.3

hi,excepta dogmatum vnitate,acutissimè omnium rectissiméque de hisce reb⁹ disputauerint) Scholastici inquam omnes,intra hosce limites vbique permanserunt. Et Thomas ipse omnium princeps legem hanc tulit,cùm inquit: Sunt tamen ad huiusmodi veritatem manifestandam, rationes aliquæ verisimiles inducendę, ad fidelium quidem exercitium & solatium,non autem ad aduersarios cõuincendos: quia ipsa rationum insufficientia,eos magis in suo errore confirmaret,dum existimarent, nos propter tam debiles rationes veritati fidei consentire. Si ad hunc sensum ij loquuti sũt qui in Germania D.Scheckium reprehenderunt, quòd in sua statione non maneret, certè non video,cur non magis docti, pij, & prudentes,quàm Scioli, Suffeni,& Phormiones sint habendi. Vocabulũ illud VRGERE meæ præfationis,asperius fortasse D. Scheckio visum est, quod tamen quanuis multa habeat significata

1. cõtra Gent. cap.9

cata, ego idem valere volo, quod COGERE ad id q, fieri nequit, & quasi legem iniustam recusanti imponere. An cogat, patere poterit, si dialecticarum illarum ipsius prædicationum doctrinam, vim, & efficaciam paucis expendamus. Proponit igitur sibi D. Scheckius probare suorũ Theologorũ sententiã, qua statuitur Christi corpus esse vbique præsens & in Cœna ipsa Dominica, adeò vt sub sensum humanũ cadere possit. Hoc vt præstet, formulas & modos omnes (vt ipse inquit) prædicandi enuncian- Pag. 33
díque idiomata vtriusque naturæ de Christo, exponere aggreditur, ita exordiens: Prædicata quædam esse quæ prædicantur immediatè tãtùm, quædam quæ mediatè: exemplum secundi ordinis esse, *Deus est homo, homo est albus, homo nanque de Deo prædicatur mediatè vt album de homine: propter albedinem enim & quia accidens est hominis, albũ prædicatur de homine, non autem de ipso per se ac primó.* Hîc primùm dico, D. Scheck.

malè explicare cur ista prædicata sint mediata, ac proinde quid sit prædicatum mediatum. Est autem propositio immediata, Aristotele teste, qua non est altera prior, ideſt quæ caret medio termino ex quo noua possit efficipropositio, qua probetur. Carent autem propositiones medio termino aut ex se, ideſt verè & secundũ rem, vt quoties prædicatum cadit in ratione subiecti, Homo est animal, Socrates esthomo: aut quoties passio prima prędicatur de suo primosubiecto, vt Triãgulus habet tres, Ignis est calidus, Homo est docilis: aut quando definitio de definito prædicatur, vt Homo est animal rationis capax, nisi velimus inter definitionem & speciẽ intercedere medium. Aut carent medio quo ad nos tantùm, quanuis ex natura rei habeant, vt Nix est alba, quæ nobis absque medio cognita est, quanuis illud secundum rem existat. Aut vtroque modo immediatè esse dicuntur, cuiusmodi sunt Effata, & conce-

1. post. analy. cap. 2

conceptiones animi communes aut omnibus, aut sapientibus: vt illęduæ, De quolibet est vera affirmatio vel negatio. Non contingit idem simul esse & nõ esse, quibus (vt Apollinaris censuit) si non solis, certè paucis aliis descriptio illa Effati Aristotelica conuenit: & ista, Incorporea non sunt in loco. Quomodo autem, quanuis omnes aliæ propositiones per effata probari possint, quia tamen ipsa non sunt verè principia rei, neque propositiones necessariæ, neque per se, non adimant aliis propositionibus quas enumerauimus, veræ immediationis rationem, & quomodo item si Effata non sint verè principia rei, neque per se, ingrediantur demonstrationem, vt Aristoteles voluit, alibi declarandum est. Mediatę ergo propositiones totidem etiam dicentur modis. Nam vel secundum se erunt mediatæ, vt ista, Luna potest eclipsim pati, habet enim mediũ quo probetur, nempe, posse priuari solis lumine à terra in-

1. post. cont. 20 27

teriecta, quæ iterum habet medium quo probetur, videlicet esse propinquam terræ, & minoris quantitatis quàm terra sit, vt Aristoteles secundo
Cap.8 post.analyticorum, innuit: vel ratione nostri, vt quando definitio materialis de definito prædicatur: verbi gratia, Domus est operimentum, ex lapidibus, cæmento, lignis: ista, ratione sui immediata est, quandoquidem subiectum in se claudit omnem definitionem sui, idcircóque inter ipsum & suam definitionem materialem nullum intercedere reuera medium potest, tamẽ per definitionẽ à fine sumptam probari potest, cùm præsertim in artificiosis rebus, efficiens & finis sit aliquid à re constituta extrinsecũ: qua etiam ratione Græci nõ semel dixerunt, materię esse propriè inferri, formę verò inferre, quæ in physicis cum fine coincidit, & in substãtiis materies ex forma optimè colligitur. Exquo item definitionem accidentium quæ genus ac differentias adhibet,

adhibet, quòd conclusio demonstrationis sit, materialem vocant: illam verò quæ causam patefacit, à qua res pendet & conseruatur, quòd sit demonstrationis principium, formalẽ appellant. Quomodo hæc omnia vera sint, meum non est in præsentia declarare: nota esse puto omnibus qui in Aristotele versati sunt. Ex his autẽ liquet, quàm malè D. Scheckius probet istam esse mediatam; Deus est homo, quia & propter humanitatem homo est, & humanitas illi sit accidẽs Ista enim immediata est secundum se, Homo est docilis, cùm tamẽ, propter docilitatem sit docilis, & docilitas non aliud quàm accidens, diuersi tamen generis ab albedine, sit. Excipiet D. Scheckius, se illa addidisse, *Non autem per se ac primò*: Respondeo superuacanea ergo esse priora, atque hanc meam reprehẽsionem ad illud tantùm caput meæ præfationis pertinere, quod est: Pleraque ab ipso in hoc libello ex physicis sumpta, non

benefuisse exposita. Tãtùm hîc monere oportet, ne incauti decipiãtur: Propositionem istam, Deus est Homo, veram esse, quemadmodum & illã, Homo est Deus, si tamen vocabulũ Deus pro persona filii Dei, proindéque pro supposito humanæ naturæ acccipiatur. Neque enim, vt ait Thomas, hoc nomen Homo de Deo prædicatur, nisi ratione vnionis in persona, quæ vnio relationem significat. Ex quo apparet D. Scheckium cùm inquit, verbum τυχόντως esse Hominem, vt τυχόντως Homo est albus, plusquam impropriissimè loqui, quãuis hîc Aristotelicam loquutionẽ imitari voluerit in categ. rel. Quomodo nanque tueri postea poterit vnionem humanæ naturæ & Verbi non esse accidentaliter factam? Idcirco Thomas veritus est aliquãdo cõparare hanc vnionem Christi, vnioni animæ & corporis, quatenus corpus animę instrumentum essedicitur, Etenim, inquit, quanuis corpus sit animę instrumentum,

3. par. Sum. q. 16 art. 1. ad vlt.

q. de vn. Verbi incarn. art. 1

4. cõtra g. c. 41

tum, non extrinsecum, non aduentitium, sed coniunctum & proprium, qualis est Humana natura respectu Verbi: (operatur enim ea quæ propria solius Dei sūt, vt peccata tollere, illuminare mentes per gratiam, æternam vitam largiri, aliáque ciusmodi) semper tamen accidentalis vnio est. 4. cōtra Gent. cap. 41

Hęc verò quę in Christo reperitur est vnio singularis & noua supra omnes modos vnionis, quam Deus ob infinitam suam vim constituere potuit. *Prædicata vero quæ immediate tantum prædicantur de natura humana, non possunt prædicari de hypostasi verbi, vt assumi, personari, finitum esse.* Si prædicatum immediatum, id est per se & primum, sit de omni, cur quæso D. Scheckius, assumi & personari immediate de natura humana prædicari asserit? Excipiet, per naturam humanā se intelligere suppositum ipsum quod est homo & altera Christi pars, quæ non prius fuit humana natura quàm assumpta & personata, vt Thomas ait. Id quidem 3 p. 33. q. 33. art. 3

e. i.

fateor: nam nihil hominis præextitit, quasi per se persistens, antequam à
q. 4. art. 1. Verbo assumeretur. Sed tamen Thomas eodem in loco ista loquutus est:
« Assumptibile aliquid dicitur secun-
« dum congruentiam ad vnionem prę
« dictam (nempe verbi Diuini) quæ
« congruentia in duobus spectatur, in
« dignitate videlicet, necessitatéque,
« & indignitate quidem, &c. Quare quemadmodum quęritur, quid causæ sit cur Soli, cur item aliis stellis inerrantibus eclipsis non accidat, aut alio saltē modo accidat quàm Lunæ, ita quęrere iure potero, cur nō aliam carnem assumpserit Verbum quàm Mariæ filium: & quemadmodum vt priori quesito satisfaciam necesse erit ad diuersam Lunæ & reliquorum astrorum naturam confugere: ita vt posteriori satisfiat, ad diuersitatem aliquā carnis & naturæ humanæ Christi & aliarum confugere oportebit. &
3. p. q. 32. art. 1. Thomas quodam in loco: Spiritus
« Sanctus formauit corpus quod assum
« psit, & superuenit in Maria, quasi ad

præparandã & formãdã materiã corporis Christi quã accepit. Et alibi scribit, Spiritũ S. tãtùm efficientẽ causam generationis carnis Christi fuisse, Mariamverò, materiã tãtùm suppeditasse. Excipiet adhuc, Assumi idcirco vocari prædicatũ immediatũ, quia conuenit naturæ humanæ ratione sui, nõ ratione suppositi, vt ait Thomas: Nõ repugnabo, sed petã à D. Scheck. cur hoc non declarauerit. Oportuisse autẽ vt declararet, liquet ex regula quã deinceps colligit, hoc modo. *Hæ non sunt veræ propositiones, Christus est assumptꝰ, Christus est finitus, Christus est alicubi, Christus est creatus.* In symbolo fidei, extat articulus ille: Et in vnũ Dominum Iesum Christum, qui conceptus est à Spiritu sancto. Si ergo ista est vera, Christus est conceptus, Christus est natus, vera item erit illa, Christus est creatus: item illa, Christus est finitus: quum ipsemet alibi dixerit, Pater maior me est. item ista, Christus est alicubi: nam idem aliquãdo nos monuit,

ib. q. 33. art. 4

ib. q. 16 art. 4 ad tert.

Ioan. 14

se non semper apud nos futurũ. Cur ergo non seiunxit D.Scheckius prædicata, quæ ratione humanæ naturæ non conueniunt Christo, ab iis quæ conuenire cum modo videntur, non absolutè, vt esse creaturam, finitum, alicubi, & quæ absolutè conueniunt, vt esse crucifixum, mortuum: hoc certè egregiè præstitit Thomas in tertia parte Summæ, quæst. decima sexta, di-

Art. 8 " cẽs: Ea de quibus nullo modo vereri
" possumus, ne videantur diuinæ naturæ ex propria ratione conuenire, simpliciter & absque limitatione posse
" de Christo enuntiari: vt, Christus est
" mortuus, passus, & sepultus, quis enim est qui existimet Deum mori,
" pati, sepeliri? a verò quæ quis credere posset naturæ Diuinæ ratione propria conuenire, non esse de Christo sine modo enuncianda: vt Christum esse creaturam, dicere quidem possumus, sed addita limitatione, nempe secundum humanam naturam. Nam Arriani existimarunt, Christum esse crea-

creaturam & minorem Patre, non modò ratione humanæ naturæ verũ etiam, ratione Diuinę personę. Exemplo sunt nobis corporea hęc, in quib⁹ ea quæ videntur tam toti quàm parti conuenire posse, si insunt alicui parti non tribuimus toti simpliciter & sine modo: neque enim dicimus Æthiopem esse simpliciter album, sed albũ dentes, cum tamen dicamus simpliciter hominem crispum, propterea quòd constet crispitudinem nonnisi secundum capillos ei conuenire posse. Iã verò, quòd Assumi & Personari non dicãtur de Christo, non est eadẽ ratio, quãdoquidẽ ista prædicata nõ insunt naturâ, humanæ naturæ (vt falsò D. Schek. ponit) sed per accidens, vt cõstat: nõ prædicãtur autẽ de Christo, propterea quòd actionem & passionem dicunt, & actionem quidẽ respectu assumentis, passionem vero respectu assumpti: quare seiũgit quodãmodo vocabulum assumptus aut assumi, personatus, aut personari, asse. iii.

sumẽs ab assumpto,& personãs à per sonato, quã seiunctionem vocabulũ Christus non patitur, quemadmodũ vocabulum Caro & Verbum. Item assumptio dicit quid in fieri,quod nõ nisi parti conuenire potest : Christus autem nomen totius cuiusdam iam constituti est. Hæc ex Thoma elici possunt. Sequitur.*Prædicata immediata quæ enuntiantur de hypostasi Diuina, seu de Verbo, prædicari etiã possunt de humana,id est de Homine, & eius concretis Idiomatibus,de natura verò humana prædicari nequeunt.*Rogo vos pii viri,si quæ de Verbo aut natura diuina prædicantur immediatè, prædicari etiam possunt de hypostasi humana quia vna sit hypostasis : cur quę de humana hypostasi dicuntur (non dico immediatè vt D. Scheckius,sed vt Thomas ex propria natura vt finitum esse,& alicubi) de hypostasi diuina dici posse superius D.Scheckius negare voluit ? Neque enim interest ex qua Christus substãtia nominetur, cùm manẽte vnitate

personæ

perſonæ inſeparabiliter, idē ſit & totus Hominis filius, propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem. Itaque Thomas alibi docebat, In myſterio incarnationis non eſſe eandem naturam Diuinam & Humanam, ſed eādem hypoſtaſim vtriuſque naturæ, & idcirco quæ ſunt vnius naturæ non poſſe quidem de altera prædicari, ſecundum quòd in abſtracto ſignificatur: nomina tamen concreta, cum ſupponant hypoſtaſim naturæ, ita ſe habere, vt indifferenter ea quæ ad vtranque naturam pertinent, prædicari de nominibus concretis poſſent, ſiue illud nomen vtranque naturam complecteretur, vt hoc nomen Chriſtus, ſiue ſolùm Diuinam naturam ſignificaret, vt hoc nomen Deus, vel filius Dei, ſiue ſolùm naturam humanam vt hoc nomen Homo vel Ieſus. Animaduertendum tamen eſſe ſemper in propoſitionib⁹, alibi monet, nō modò quid in propoſitionibus iſtiuſmodi ſignifi-

3. parte ſū. q. 16. art. 5

ibi art. 4

cetur, verùm etiam ſecundum quid vnumquodque prædicetur, iuxta illud Auguſtini, Diſtinguendum quid in Scripturis ſonet, ſecundum formã Dei, & quid ſecũdum formam ſerui, & quid, & propter quid, & quid ſecũdum quid dicatur. Quid? nonne iſta vera eſt, Deus eſt homo: item iſta, Homo eſt Deus? illas certè veras eſſe. Thomas oſtendit: ergo & illæ quoq; veræ erunt, in quibus quæ vnius hypoſtaſis ſunt ſeu concreti vocabuli, de altero enuntiantur. Quam tamen regulam, iuxta Thomæ præceptum ſuperius expoſitum, ſemper reſtringi volumus. Reliqua quæ de mediatis & immediatis prædicatis addit, ſumpta ſunt ex Scholaſticis, & purè propoſita vt proponi debuerunt, Annotãdum eſt tantumodo D. Scheckium vbique ſi poteſt vocabula illa afferre, quæ minus habent perſpicuitatis, multũ ambiguitatis, Scholaſticivix auſi ſunt vti vocabulo illo ſubſiſtẽdi ex parte Verbi, niſi ſtatĩ adhibita aut expreſſè aut occultè

occultè illius explicatione: ipse tamẽ hîc ita libere loquitur, *Natura humana in seipsa & naturaliter considerata, est pura creatura à Deo assumpta, in qua Deus verbum subsistit.* Thomas aliquando ait, Humanã naturam contulisse Verbo diuino esse substantiale (idest hypostaticum vel personale, vt esse hominẽ (quemadmodum idem alibi explicat) inquã tum nempe per naturam humanam Verbum dicitur homo: & iccirco dici Verbum factum esse carnem, quia caro verè Deum fecit hominem, quod vt explicaret, verbo substantificandi vsus est: nunquã tamen ita audacter loqui voluit vt diceret, Verbum in natura humana subsistere, cùm contrà natura humana verè in verbo subsistat. Solet autem D. Scheckius hac licentia vti, vt q̃ proprium sit vnius ad aliena nulla adhibita distinct. transferat: Aliàs enim etiã in hoc eodem libello inquit, *Deum non modo creandis bene rebus omnibus, verum etiam iisdem lapsis conferendo salutem, eosque restituendo à*

4. cõtra Gent. cap. 49

q disp. de Vn. verb. art. 1

Tho. In euãg Ioan.

pag. 9

merito exitio, bonitatem ſuam teſtatam feciſſe. Quintò deducit ex hoc fonte quędam limitatè prędicari, vt quum dico Chriſtus quà Homo ſedet ad dexteram Dei: vnde ad duplicem limitatorum prædicatorum ſpeciem non minus ἀμεθόδως exponendam deſcendit: ita vt quod perſpicuum vel ipſis pueris Dialecticis eſt, ipſe ita obſcurè, ita confuſè tractet, vt nil ſuprà. Sed expendamus quæ dicat. Primam ſpeciem limitatorum prædicatorũ proprio nomine vocat ipſe Reduplicatiuam, quãdo ſcilicet (vt inquit) de ſubiecto aliquid prędicatur quia ipſum: vt ſi de Bono dicatur, quòd ipſius ſcientia quædam ſit, quia bonum. Alteram vocat Specificã, qua vult exprimi cauſam, quæ ſit aliud quiddam quàm ſubiectum, & propter quam prædicatum ſubiecto inſit, vt Tragelaphus quia nihil eſt, ſcientia non apprehenditur. Hîc primùm D. Scheckius reprehendendus eſt, qui Tertiam Reduplicationis ſpeciem omittit,

tit, quam omittere non debuit, cùm se omnes enumerare voluisse profite atur. Est autem hæc, Reduplicatio consequentiæ aut concomitantiæ vo cata. testes hîc voco Latinos interprætes omnes Aristotelis: præter cæteros autem eos qui non minimi inter Scholasticos habiti sunt, videlicet Gaietanum, Ockã, Egidium, Albertum, Iauellũ. Nam Græci & Arabes vix rem hanc attigerunt (eorũ Loca præcipua sunt, Simplicii in categ. de relat. Ammonii ibidem, Alex. primo priorum cap. 38. ibique Philoponus, & Alex. etiam quinto metaphy. cap. 18) Neq; est quod dicat D. Scheckius, hanc tertiam speciem sub aliis contineri, quandoquidem aliquid peculiarè ipsam habere ostendunt ferè omnes, quod Specificatiuæ aut Reduplicatiuæ conuenire nequit. Sed vtcunque sit (neque enim de hac re meam sententiam in præsentia ferre volo) videamus an consentaneè & conueniẽter de his duabus speciebus Re- pag. 40 l. vult.

duplicationis loquutus sit. Illud imprimis constat. Aristotelem solo nomine generali Reduplicationis vsum fuisse, species verò istas ab interpretibus commodioris tantùm doctrinę gratia ob diuersitatem propositionũ quas loco exempli subiicit Aristoteles, fuisse excogitatas. Constat secundò Reduplicationem specificam ab omnibus vocari, illam quæ modum specificat atque determinat, quo prædicatum subiecto inesse dicitur, vt si dicam, Ens quatenus Ens secundum videlicet rationem suam communẽ, est subiectum in Metaphysicis, Iustitiæ siue Boni, quatenus Bonum, Scientia est. Homo quatenus bipes, ambulat. Neque enim in his propositionibus, particula limitans causam dicit (in quo lapsus est D. Scheckius) ideò particula illa, inquantũ ens, causam non affert cur de Ente in Metaphysicis libris agatur, neque illa, inquantũ bonum, causam dicit cur de iustitia aut de bono scientia sit, sed potius limitat

Arist. 1. priorũ cap. 38

limitat

mitat & ſpecificat modum, quo de iuſtitia ſiue de bono ſcientia ſit, quo item de ente in Metaphyſicis agatur. Proindéq; omnes Scholaſtici de hac reduplicationis ſpecie loquentes dicunt, terminum illum quà, aut quia, aut inquantum, non relinquere terminum cui apponitur in ſua ratione formali abſolutè ſumpta, ſed ipſum reſtringere. Aliam verò reduplicationis ſpeciem, nomine generis Reduplicationem appellant, à qua cauſam afferri dicunt, rei quam prædicatum ſignificat, & eſt illud cui primò prædicatum ineſt. Vt Homo quà præditus eſt anima intelligente, docilis eſt, Homo quà homo, eſt rationalis. Ignis quà ignis (exempli gratia hoc dictũ ſit) calefacit, leue eſt. Hanc ſoleo ego in intrinſecam & extrinſecã diuidere: tot enim modis dicitur ſecundum ſe, quot modis dicitur cauſa, 5. met. cõt. 22. Voco intrinſecam Reduplitionem que affert cauſam intrinſecã: ſic viciſſim Extrinſecam appello. In-

trinſecam iterum ſeco in illam quæ cauſam propriam & adæquatam (vt vocant) ſubiecti affert, ideſt cauſam à differentia ſumptam, qua ſubiectum ab aliis omnibus differt, vt Triangulus inquantum Triãgulus habet tres, Homo quà homo eſt rationalis. quod verè prædicatum primò eſt, & inferius ipſo, per ſe: ſecundò in illam quæ cauſam affert in ſubiecti eſſentia exiſtentẽ (ſumo hîc eſſentię nomen non vt Ariſtoteles & Græci ferè ſemper, ſed vt Auerroes accipit, latius videlicet patens quàm Quiditas & τὸ τί ἐστι.) Hæc prædicatio non eſt idem quod prædicatio primò, ſed conuertitur cum prædicato per ſe, quod in ſubiecto cauſam habet, quanuis illa cauſa non ſit tota & adæquata ſeu abſoluta ſubiecti ratio. Vt, Homo quatenus Homo docilis eſt. Hæc iterum ſpecies in duas ſcinditur, prout duo tantũ genera cauſarum in re conſiſtente cõſiderãtur. Extrinſeca Reduplicatio eſt, quæ cauſam affert accidentalem,

3. de an. com. 5. & 9

Ariſt. 7. metaph cõt. 59

vt

vt Socrates in quantùm albus, disgregat visum. Cæterùm D. Scheckius (vt ad illum redeam) affirmat propositionem istam, Boni scientia est quia bonum, nõ Specificatiuam esse, sed Reduplicatiuam: sumpta tamen est ex ore Aristotelis, quam ipse ex sententia omnium interpretum, specificandi gratia non reduplicandi protulit: Quid hîc D. Scheckius? vrgebit ne, vocabulum Reduplicãdi? At ego obiiciam illi Aristotelem, qui sub hac inscriptione omnes istas propositiones complectitur: Bonum quoniam bonum, est scibile: Iustitię quoniam bonum scientia est, Sanabilis sciẽtia est, quoniam bonum: Hircoceruus inquantum non ens est opinabilis. Agnoscãt præterea hîc omnes, D. Scheckium tam malè explicare, quid intelligat per prędicationem reduplicatiuam, vt non mirum sit, eum in tota hac sua tractatione nunquam sibi constare, cælumque cum terra permiscere. Ait, *Prædicatio reduplicatiua est,*

1. prior. cap. 38

quando prædicatur aliquid, quia ipſum, At illud ei declarandum fuit, quid intelligeret per quia ipſum, idem enim hoc vocabulum ſignificat, quod Reduplicatiuum. Fortaſſe ne intelligit per prædicatum quia ipſum: id quod Ariſtoteles primo poſt. analyticorũ prædicatum vniuerſale ſeu primò vocat? hoc certè affirmare videtur D. Scheckius pag. 38. lin. 13 & 28. Quare abſolutè iterum affirmo, plura hic eſſe errata quàm verba. Primum eſt, quia Scholaſtici genus iſtud reduplicationis nomine generali Reduplicationis, non ſpeciuocam vocant: Secundum, quia Ariſtoteles non in hũc ſenſum propoſitionem illam protulit, qua D. Scheckius vſus eſt, nempe Boni quia bonum ſcientia eſt: Tertium, quia abſurdum eſt dicere propoſitiones iſtas, videlicet Chriſtus quia Chriſtus regnaturus eſt in æternum, Chriſtus quia Chriſtus eſt vbique, eſſe vniuerſales, Quia Chriſto non primò cõuenit eſſe vbique, & in æternum regnare

gnare, sed hypostasi Verbi, & per Verbum homini Christo, vt per Triangulũ Isoscheli habere tres, Quare ista quidem per se est, Christus quà Christus est vbiq;, Christus quà Christus, in eternum regnat, non tamẽ primò. Secus enim conuerteretur prædicatio, & quicquid vbique esset, Christus aut sub ratione Christi esse diceretur: quo posito personã Patris & Spiritus Sancti in angulo aliquo huius vniuersitatis collocari oporteret. Verè quidem prędicata primò erunt ista, Verbum seu Filius Dei quà filius Dei & quà Verbum, est vbique, est in ęternũ regnaturus. Alia ratio est cùm dico, Homo quà homo, est rationalis, ex Verbo nanque assumente & carne assumpta non vnum quiddam fit vt ex corpore & anima rationali: Quartũ, quia falsissimum est quod dicit, Boni quia bonum scientiam esse: nam & malum scitur: velit nolit igitur, cogitur dicere propositionem illam non causam afferre, sed modum spe-

cificare, vt Scholastici loquũtur. Dicamus igitur istã propositionẽ, Christus quà Christus, est vbique, verissimam esse, idest Christus quà persona quædam est duabus naturis constãs, Diuina videlicet & humana, non alia ratione est vbique. Neque enim discerpitur, vt alicubi sit secundum humanitatem tantùm, non habens adiunctam Diuinitatem, aut vbique sit secundum Diuinitatem, non habens adiunctam humanitatem, sed vbique est quà Christus, idest quà diuinitas Christi, quæ propriè est vbique, assumptam humanitatem vbique sibi habet vnitam, aut quà humanitas quæ vno in loco est, Diuinitatem quæ vbique est sibi habet adiũctam: est enim constitutum illud, seu persona Christus, nihil aliud, quàm diuinitati Verbi personaliter vnita humanitas: quò pertinet regula à Capreolo summo Scholastico in sec. sententiarum posita. Pergit D. Scheckius, & alteram speciem reduplicationis quam vocat

Distin. 25. q. 1

Spe-

Specificatiuam, cõtra sententiã Heruei, Gaietani, Capreoli, ita diffinit, *vt sit illa qua intelligitur & exprimitur causa quæ sit aliud quiddam subiectum, prpter quam prædicatũ subiecto insit.* Ergo D. Scheck. istæ, Homo quà homo, docilis: homo quà rationalis, visibilis: nõ sunt αὐτολογικαὶ. Causa namque non est quid aliud, aut saltem non prorsus aliud à subiecto. In quo ergo genere erunt? iam enim ostendimus in priori non esse. Qua in re video ipsum iterum abuti exemplo Aristotelis de Tragelapho. Verùm hæc alii cõsiderent: In tanta regularũ confusione, addit, *Quãdo limitatur per reduplicationẽ, omnino necesse est vt prædicatũ illud simpliciter & verè efferatur de subiecto; vt si Christꝰ quia Christus est æternus, Christus est æternus.* Verũ est hoc & ponitur inter regulas istiusmodi reduplicatorũ à Logicis. Sed addit aliquid suspecti, cũ inquit, istã esse verã, Christus quia homo est æternꝰ. Nã Thomas docet & verã & falsã esse posse. Ait nanque falsam esse, si su-

3. p. Sũ. q. 16. art 12
3. Sent. dist. 10. q. 1.

matur homo pro natura humana, veram autem si pro supposito: suppositum nanque naturæ humanæ in Christo est persona filii Dei, cui per se conuenit esse Deum, idcircóque æternũ. Christianè tamen nos deinceps idem Thomas monet, vt illam semper pro falsa potius quàm pro vera habeam⁹: siquidem terminus ille (quà Homo) magis naturam quàm suppositum significet. Quid habet hîc quod afferat D. Scheckius, aduersus Thomã? Vrgeat quantum vult suis prædicationibus, non habebit vnquam istam esse veram, Christus quà homo autsecundum humànitarem est vbiq;. Addit falsas esse istas, *Christus quà Homo est creatura*, *Christus quà homo est compositus*. Deus bone quid audio? profitetur homo hic doctrinam scholasticã, nil tamen aliud agit quam illi repugnare. Capreolus in tertio sent. imò Thomas ipse aliter docet. Verba illius sũt

dist. 10. q. vnica 3. parte. Sũ. q. 16. art. 10

" hæc: Hęc est magis concedẽda quàm
" negãda, Christus quà Homo est creatura

tura. Dicet D. Scheckius, Humanitatem non fuisse personam sed naturã. Respondeo verum esse, sed addo, reduplicationem propriè redolere naturam, & magis quàm personam. Audiat Thomam ibidem hæc dicentem, Sciendum tamen, nomen sic sumptũ « in reduqlicatione, magis propriè pro « natura teneri quàm pro supposito, re- « sumitur nãque in vi prædicati, quod « formaliter tenetur. Quãuis ergo blasphemum sit dicere Christus est creatura, Christus est alicubi nisi dextrè intelligatur, non tamen blasphemia erit dicere, Christus quà homo, ideſt secũdum id quod est homo, nempe secundum carnem & humanam naturam, esse alicubi. Si petat, qualem hanc propositionem esse credam: Respondebo verè imò verissimè & cõsentaneè Reduplicatiuam specificantem Scholasticorum esse, non reduplicantem, quam noluit agnocere D. Scheckius inter sua prædicata, quòd non multum vsum suæ vbi-

quitati ex ea prouenire sciret. Voco autem istam propositionem specificantem, quia modum præscribit quo Christus alicubi esse dicatur. Quæ addit pag. 39. de speciuoca sua reduplicatione, vera sunt, & peruulgata apud omnes illos scholasticos qui Summulas (vt ipsi vocant) logicas compilauerunt. Item, quæ de distinctione vocabuli Hominis, cùm pro causa & pro reduplicatione sumitur, sunt verissima, vt superius ex sententia Thomæ annotaui, quãuis semper D. Schockius impropriè loquatur, ob suam illam reduplicatorum prædicatorũ incommodam distinctionem. Quum deinceps docet, *Prædicationem illam quæ est, Christus qua Christus est passus, & alias huiusmodi no habere locum in ἀποφατικῇ limitatione*, falsissimum est: causa nanque verissima & proxima affertur, cùm dicitur. Homo quia Homo docilis est: ita cũ dicitur, Christus quia Christus est passus, Quũ excipit, nihil sui ipsius causam esse, non percipio quorsum i-

sta

ſta exceptio tendat: nam nõ dicimus Chriſtum eſſe cauſam quòd ſit Chriſtus, neque Hominem quòd ſit Homo: ſed Chriſtum eſſe cauſam vt ſit paſſus, & hominem eſſe cauſam vt ſit docilis: nõ potuit enim pati Deus vel homo, ſed Deus ſimul & Homo qui iam Chriſtus eſt. Sed vt Ariſtotelis præcepto locum dare liberè poſſimus, quid reſpondebit D. Scheckius Græcis omnibus, qui dicunt, obſtructionem terræ eſſe cauſam cur Eclipſis ſit priuatio luminis? Nonne priuatio luminis eſt forma Eclipſis, vel idem potius atque ipſa Eclipſis: affertur tamen cauſa quamobrem illi inſit. Hoc certè in libris ſuis de Demonſtratione D. Scheckius non declarauit. Poſtremò ſpeciem limitationis per ſynecdochen vocatam de ſuo addit, à nullo prorſus acceptam. Videamus igitur an aliquid habeat peculiare, ex quo iudicemus non rectè ab aliis fuiſſe prętermiſſam. Dicit, per ſynecdochen partis cuiuſdã, quę- 5. met. 23.

dam de ſubiecto prædicari, vt Homo eſt immortalis ſecundum animam. Rogo omnes in dialecticis verſatos vt hîc me monere dignẽtur, num hęc ſpecies auelli vllo pacto queat, ab ea quæ à ſcholaſticis Specifica, aut ab ea etiam quæ propriè Reduplicatiua vocatur? (in idem nanque iſtas ſpecies non ſemel coire oſtendunt Interpretes). Leuia ſunt iſta, ſed tamẽ animad uertenda, ne ita facilè aliorum inuenta deprimere, noſtra verò extollere vbique velimus. Hęc de prædicationibus Dialecticis D. Scheckii, In quibus non modò ſpectare debent lectores, quàm bene ſe geſſerit D. Scheck. ſed quàm bene etiam & methodicè in re tanti momenti, & tam perſpicua explicãda ſe gerere debuerit. Ecquis quæſo eſt qui regulam quãdam certam ex illis omnibus præceptionibus Scheckianis colligere atque in vſum tranſferre queat? cùm tamẽ vel minimus quiſque ex Doctrina Scholaſticorum facillimè illas ordine e-

ruere

ruere posset: preterea, quid hisce suis Dialecticis regulis velit, quid aduersus nos concludat, norunt omnes, parum videlicet & ferè nihil. Fateor autē in hisce meis reprehensionibus nonnulla reperiri posse quæ aliter quoque explicari oporteret, sed meminerint omnes, nihil aliud esse mihi hoc tempore propositum, quam spectare quæ ipse protulit. Illa igitur vt falsa & malè prolata oppugno, nō quid de hac re tota sentiam, simpliciter dico. Fortasse autē, si hoc argumē tum ex proposito tractandum susciperem, longè diligentius quam D. Scheckius putet, de prædicatis mediatis & immediatis tam naturis quam personæ Christi conuenientibus, de efficacia item & discrimine prædicationum limitatarum ex Aristotelis & Scholasticorum doctrina, disserere possem: sed ad alia grauiora properemus. In tanta præceptorum confusione profitetur se quasi arbitri cuiusdam ex æquo & bono iudicantis mu-

nus gerere velle. Inscriptio libelli, itẽ prefatio eiusdem ad Illustrissimum Ducem Vuirtembergẽsem hoc satis indicat. Quid tamen effecerit, norũt iam ferè omnes. Dixi ipsum ansam dubitandi multis de industria præbuisse, vtram ipse sententiam tueri voluerit: de industria inquam, quandoquidem verba illa sua ad Illustrissimum Ducem vuirtembergẽsem hoc disertè indicant. Ea verò sunt: Quod
" ipsum quoque cùm aliis tum mihi i-
" psi poterit accidere, vt quod sentio in
" hac disputatione, non dixisse, aut sen
" sisse, & quod non volo aut sentio, id
" sensisse atque voluisse videar. Si vere-
" batur. D. Scheckius ne homines illi aliquid affingerent: cur non omissa ista excusatione, perspicuè, & vbique consentaneè in suo libello loquutus est? Probemus autem id esse verum quod diximus euidentiori quoque ratione: Quos oppugnat D. Scheckius? certè, si verba spectes, Theologos nostros, quos aduersarios vocat.

Quos

Quos tuetur? Theologos ſane Tubingēſes. Quid iſti? Hoc nempe, Chriſti corpus realiter, corporaliter, eſſentialiter, in Cœna Domini ſumi, manducari, deglutiri, ac omnibus rebus prę-ſens eſſe. Quid noſtri? Chriſtum totū nobis in Cœna donari, totum vbique eſſe, (neque enim verbum ab aſſumpta ſemel humanitate ſeiungi poteſt: ſed illam ſemper & vbique, hypoſtaticè indiſſolubili vnione ſibi habet annexam) corpus tamen illius corporaliter, realiter, eſſentialiter nunc in cælis tantùm eſſe, ac proinde non niſi ſpirituali modo & per fidem nobis communicari: nec alibi poni poſſe, quin & Scripturarum veritas ruat, & humanum corpus in naturam Spiritus, ipſiúsque Dei tranſierit, quod affirmare nefas eſt. Quid D. Scheckius Arbiter? Hoc videlicet, Naturam Chriſti humanam, naturaliter, corporalitérque abſentem eſſe, vbique verò & in Cœna Domini eſſe dici, cauſa tantùm perſonæ Chriſti: Noſtri hanc

ſententiam audientes quòd ab ea nõ diſcreparent, iam diremptam eſſe litem exiſtimabant, pacem ab aduerſariis expectabant, gaudentes ſe tam bonũ & æquum iudicem habuiſſe: cui etiam gratias egiſſent: Sed animaduerterunt D. Scheckium omnẽ gratiarum actionem recuſare, cùm eos non ſemel aduerſarios, & falſarios vocet. Quid ergo dicendum? D. Scheckium mala conſcientia agere, nolim quidem omnino adhuc exiſtimare: credo igitur illũ potius nõ bene cognouiſſe, quid ſui Theologi diſertiſſimis verbis de hac re ſcripſerit, & quam ſententiam noſtri adhuc cõſtantiſſimè ſequuti, & poſthac ſequuturi ſint. Supererat fortaſſe antea D. Scheckio aliquid, quod pro ſuo à nobis alienato animo cauſari poſſet, nimirum, quòd videret nondum vocabulo Perſonaliter ſatisfactum eſſe, idcircóque iudicaret nondũ litem componi poſſe, & nos in numerũ amicorum & fratrum recipiendos eſſe.

At-

Atquî doctiſſimus' interpres Anonymus demonſtrauit, nullam hoc minimum vocabulum perturbãdæ pacis occaſionẽ alicui prębere poſſe: Quia Humanam Chriſti naturã perſonaliter vbique eſſe, nihil aliud ſit, quàm dicere, Idcirco naturam humanam Chriſti, præſentem vbique dici, quia eſt illius perſonæ pars, quæ verè & naturaliter vbique eſſe reſpectu Verbi dicitur: non tamẽ inde ſequi, Naturã humanam abſolutè ita vbique & Cœnæ Domini adeſſe, vt propoſitiones illæ Theologorum Tubingenſium, quas nos ſuperius non ſemel repetiimus, ſint admittẽdæ. Irridet D. Scheckius fortaſſe hanc Anonymi eruditiſſimi interpretationem: ſed audiat Thomam harum rerum magiſtrum, qui eodem prorſus modo vocabulum iſtiuſmodi interpretatur. Is in tertia parte Summæ, quærit an iſta propoſitio vera ſit, Chriſtus quà homo, eſt perſona: Reſpondet in hunc modum: Vocabulũ homo, vel ſumitur ratio- " q. 16 ar. 12

« ne naturæ, vel ſuppoſiti, ſi ratione « ſuppoſiti, veriſſima eſt, quia ſuppoſi- « tum humanæ naturæ nihil, aliud eſt, « quàm perſona filii Dei. Si naturæ, du- « pliciter: vno modo, quòd naturæ hu- « manæ conueniat eſſe in aliqua perſo- « na: & hoc etiam modo verum eſt, o- « mne enim quod ſubſiſtit in natura « humana eſt perſona: aut quod natu- « ræ humanæ in Chriſto propria perſo- « nalitas debeatur, producta ex princi- « piis naturæ humanæ, etſi Chriſtus « ſecundum quòd homo non eſt perſo- « na, quia humana natura non eſt per « ſe ſeorſim exiſtens à diuina, quod ra- « tio perſonæ exigit. At ſuperandum e- rat alterum vocabulum, nempe, illud Per Accidens. Sed dicat queſo mihi D. Scheckius, quid ſit eſſe per acci- dens vbique: Nonne id quod eſt per accidens, propriè opponitur ei quod per ſe eſt, quemadmodum quod per aliud, ei quod primùm? Hoc certè Phi loponus, Simplicius, Themiſtius, nõ ſemel, & præſertim quarto de phyſi-

ca

ca auſcultatione, nos docent. Quid cõt. 24 & 25
eſt igitur eſſe alicubi per accidẽs? eſt accidere alicui ſeu in aliquo ineſſe, quod eſt vbique per ſe: quemadmodum anima ex accidenti in loco eſſe dicitur, quia in corpore ineſt quod eſt in loco per ſe. Fateatur ergo prius D. Scheckius oportet, corpus Chriſti accidere, aut ineſſe per modum accidẽtis Verbo, quod vbiq; per ſe eſt, quàm ſe propriè & Philoſophice hîc loquutũ eſſe probare poſſit. Reſpõdebit, vocabulum per accidens ſignificare idẽ quod per aliud: Atquî idem eſt dicere eſſe vbiq; perſonaliter, & eſſe vbique per aliud, nẽpe per partem, vt ſuperius oſtendimus: omnino igitur vocabulũ per accidẽs non cõuenit huic myſterio. Maneat ergo alterũ ſolũ, videlicet perſonaliter, & Chriſtº homo vbiq; eſſe dicatur, eodem modo quo rami arboris in flumine orti partis ideſt radicum ratione in flumine eſſe non tamen propriè dicerentur, aut quomodo Ariſtoteles amphoram vi-

4. phy. 24 ni & in ſũma aliquid in ſeipſo eſſe teſtatur. Hoc modo homo ſimpliciter eſſe vidẽs propter oculũ,& criſp° propter capillos,& viſibilis propter colorẽ, dicitur:Idcirco Thomas quodam
4. cont. gent. cap. 48
« loco, Propriè, inquit, ea quę conſequuntur humanam naturam, ſimpliciter de Chriſto enuntiari poſſunt, ſicut quòd eſt homo, quòd ambulauit: quòd autem eſt perſonæ proprium, de Chriſto non enunciatur ratione humanæ naturæ, niſi cum aliqua additione expreſſa vel ſubintellecta. Concludamus tandem, vocabulum Perſonaliter, vbiquitatẽ carnis Chriſti, eiuſdémque realem præſentiam in Cœna Domini(ex hoc enim illud ſequitur neceſſariò) fulcire non poſſe. Et cùm Chriſtum vbique & in Cœna præſentẽ eſſe dicimus, nihilo plus imaginemur quàm quòd Auerroes de Cælo loquens ait, Cælum eſſe ſenſile ſenſu viſus, cùm tamen viſus non niſi per ſe ad ſtellas terminetur, quæ Cæli partes ſunt, reliquum verò ſplo
2. Cæli 41. 43

rationis

rationis ſenſu comprehendatur. Ad hanc Scheckianam ſententiarum & διάνοιας confuſionem, accedit inſignis & moroſiſſima, in ſcribendo obſcuritas, quæ non modò miſerrimè legentes torquet, verùm etiam illos à lectione, cum ſtomacho deterret: quò verba illa meæ Præfationis pertinent.

Rerũ quidẽ obſcuritati ſtuduit aliquãdo Antiquitas, vt Hippocrates & Ariſt. declararũt, quod etiã illis optima ratione licuit, nunquã autem verborum, vtpote quæ moleſtiã & laborem, abſq; vllo prorſus fructu legẽti exhibeat.

Vel Autorem, vel Interpretẽ agat D. Scheck. obſcuritatẽ Sermonis tenebris etiam ipſis obſcuriorẽ, affectare videtur. Cauſam ignorãt omnes. Sũt qui vercantur ne quæ Ariſtoteles in Empedoclem & eius ſimiles ſcripſit, in D. Scheckium nõ minus conueniant. Teſtes hîc voco omnes ſtudioſos quos ego alloquutus ſum, aut Germanos, aut Gallos (in Italia nanque nihil vſquã de nomine D. Scheckii audiui) omnes inquam ſtudioſos tam erudi-

3. Reth. cap. 5

tos, quàm eruditiores, q. apud me & verbis & literis sæpe testati sũt, se nõdũ potuisse ex lectione scriptorũ eius assequ, an aliquid in physiologicis hisce disciplinis, vel nihil esset. Interpretis munus, Galenus noster quodã in loco præscribit, q. est, vt imprimis Autoris sensum germanũ, exactè distinctéq; perceptum & cognitũ habeat, quẽ deinceps ratione & oratione per spicua explicet atq; illustret: Atqui D. Scheck. in eo vno sibi ipsi mirũ in modũ placere videtur, nimirũ vt quæ etiã clarissima sũt, sua implicita & morosissima oratione obscuret, ne legentes habeãt quid vel ex ipso, vel ex Autoris scripto possint eruere. Hippocratis & Arist. breuis & cõcisa scribendi ratio laudatur, quòd breuitas illa cõcinna sit, (teste etiam Galeno & ipso M. Tullio) neruosa, sententiisq; pulcherrimis antea recõditis atq; abstrusis crebra, vt nil perperam, nil temerè scriptũ aut dictum (Auer. ipso testãte) in ea reperiatur. Adde, Illis quasi primis inuentoribus obscuritatẽ & bre-

uitatẽ condonari oportere, Quî fieri nanque potuiſſet, (de Philoſopho noſtro loquamur) vt qui in ſua philoſophia, omnia cum Diuina tum naturalia quæ cęli terræque complexu continentur, tam quo ad cauſas, quã quò ad effecta pertinentia, humanas item actiones, aliáſq; nobiliſsimas facultates, pertractaturus erat, vberiore oratione vteretur? Certè ſi Ariſtot. Galeni more, in aperiendis & refutandis omnibus omnium Veterum erratis, in veſtiendis item tam copioſa oratione ſuis dogmatibus, operam conſumere voluiſſet, innumerabilis voluminum congeries, proindéque maxima atque inexplicabilis confuſio & perturbatio emerſiſſet: vt tũ veriſſimè de ſcriptis Ariſtotelicis illud Hippoctaticum dici potuerit: Ars longa, vita breuis. Accedit eò, Homini ſummo, res altiſſimas atq; abſtruſiſſimas ex arcanis atque intimis naturæ adytis eruenti & proponenti, nõ tam obſcuritatem quàm breuitatem dicen-

di, perſpicuam tamen, adamare licuiſ
Simpl. in præf. Categ. ſe, vt quaſi pręmoneret, ſummo inge nio & excellenti iudicio, diuturnóq; ſtudio ei opus eſſe, qui ſcripta tanti momenti euoluere, eorúmque ſenſa aſſequi cuperet. Cæterùm, interpretãtis alia ratio eſt, ſi Simplicio ſũmo Peripatetico fides adhibeatur, qui aliquando in hunc modum loquutus
in præf. categ. eſt: Erat autem commentationi meæ
" propoſitum, vbi primùm potuiſſem,
" ex illius ſcribendi genere, accuratiorem præceptorum ſententiam, atque
" intelligentiam ſumere, ſimulque pro
" fundam, & multis inacceſſibilem vi-
" ri mentem, ad DILVCIDIOREM
" perceptionem, atque ad noſtram in-
" genii MEDIOCRITATEM magis
" reducere. Vnde liquet, ſummam interpretis fidem eſſe, quid ſentiat is quem interpretãdum ſuſcepit, dilucidè, & ad hominum captum accommodatè explicare. Themiſtius item, (qui vir & quantus?) quãuis paraphraſticũ interpretẽ agat, eandẽ rationẽ tamen

tamen ſectari ſe velle pollicetur, his verbis: Cùm enarrandis interpretan- 1. de an. cap. 5
diſque iis quæ de animæ natura tra- "
duntur, quàm fieri proximè poteſt, ſe "
qui Ariſtotelem velimus, conari nos "
oportet, inuoluta & obſcura eius in- "
ſtitutionis, quæ de hoc ab illo ſunt e- "
dita, dicendo APERIRE atque IL- "
LVSTRARE, Illuſtria ſimpliciter "
tranſcribere, ambigua & controuer- "
ſa diſſoluere, poſtremò id quod ali- "
quantò difficilius eſt, breuiter & con- "
ciſim aſtricta, planius fuſiúſque EX- "
PLICARE. Sed audiatur iterum e- in p. de anim. c. 20
ius lex alibi de hac re, lata: Non eſt æ- "
quum in altiſſimis philoſophiæ quæ- "
ſtionibus, aliud ſentire, aliud dicere. "
Quum enim ſemper res digna homi- "
ne ſit, ne à mente verba diſſentiant, "
tum id verò maximè obſeruandum "
in rebus obſcuris, quô ea quæ ſeipſis "
remota & condita videantur, verbis "
illuſtribus & quam maximè poteſt "
declarantibus, vendicẽtur à tenebris. "

D. Sheckius, aliquando quidem in

præfationibus ſuorum Commentariorum hoc ſe præſtaturum eſſe, polliceatur: at in opere, non meminit (vt inquit ille) meminiſſe. Quid hîc reſpondere poſſit, ſat ſcio: Scripta videlicet ſua, non eſſe idcirco edita, vt imperitorum manibus tractentur: Scilicet, quaſi docti & eruditiſſimi quique, rectius aut æquius de illius ſcriptis iudicent, quàm ineruditiores: aut non potius ex Ariſtotelis æquiſſima & iucundiſſima obſcuritate, ex ſummorum interpretum Græcorum, Arabum, Latinorum, tam veterum quàm recentiorum perſpicuis atq; vberrimis cõmentariis, doctrinam certam & ſolidam mediocri adhibita diligẽtia haurire, quàm in Scheckianorum ſcriptorum, aſperrima, horridiſſima multiſque plicis inuoluta oratione complanãda, explicãdáque, totũ ſuæ vitæ tempus conſumere velint. Deum hîc iterum teſtor, qui vnus corda hominum ſcrutatur, me hiſce meis verbis, nolle de exiſtimatione D. Scheckius

ckius doctrinæ & eruditionis, quicquam prorsus detrahi. Qui nãque id cupere possum, aut potui vnquã, quũ ab eo tempore, quo audiui ipsum tam fœliciter, tantáque hominum admiratione in tam celebri Academia, Tubingensi videlicet, Physiologica præcepta docere, ipsum semper amarim, animóque obseruarim, & nunc etiam, itame Deus amet, amem non minus, atque obseruem. De cætero, quanuis non ea ego præter cæteros ingenii dexteritate & fœlicitate præditus sim, qua ipsius scriptorum omnia sensa planè assequi potuerim: coniicere tamẽ potui, labores omnes illius, atque eos presertim quos postremò de Demonstratione edidit, (quãquàm ad quiduis aliud, quàm ad Aristotelis obscura analytica intelligenda conducant) non mediocris esse momenti, magnúmque hisce nostris studiis posse fructũ afferre. Hùc pertinent illa nostra, candido atque sincero animo in Præfatione scripta.

Hæc de tanto Philosopho sentire non auderẽ, quod vererer ne ingenii mea culpa, vim aut præstantiam scriptorum eius, assequi non possem, nisi in aliis eiusdem scriptis omnibus, perspicuitatem Docti omnes, vno ore desiderarẽt. Amo nihilominus, & obseruo D. *Scheckiũ tãquam de Philosophicis nostris studiis benemereri cupientem: verùm, dum hæc profero, quid in eo requiram qui interpretem & iudicem agit, simpliciter specto.*

Non æquo fortasse animo tulit D. Scheckius, quòd in superiori parte meæ Præfationis, verbis illis vti voluerim, nẽpe (sine fructu) Atquî, nónne Philosopho res ipsas inuestiganti, & exoptanti, illa nominum, verborũ & coniunctionum inordinatio, sentẽtiarúmque confusio, molestissima & valde infructuosa accidit, quum in causa sit, vt legentis animus quanuis attentissimus, diutius in minimis plerunque rebus anceps, hæsitánsque detineatur? imo nunquam ita solutus & vacuus dimittatur, vt liberè consequentia possit percurrere, eáq;

cum

cum præcedentibus connectere, vt collatione facta, sciat quid retinere, quid reprobare debeat? Amo perspicuitatem, & vberius illud interpretãdi genus, tam Grecis quàm Arabibus & Latinis familiarissimum, vt reprehẽdi vel laudari (de rebus ipsis loquor non de verbis, quorum monstra non fugit Philosophus sed Grammaticus, teste Philosopho) liberè possim, cùm nõ minorem fructum ex doctiorum hominum reprehensione, quàm ex eorum laude, accipere me posse, pro comperto habeam. 1. phy. 80.

Certè, vt ad libellum redeam, quæ congessit ex physicis D. Scheckius, & ad suam opinionem confirmandam accommodauit, eiusmodi sunt, vt vel mediocriter in hisce nostris disciplinis exercitatos, ne tantillum quidem mouere debant.

Non dubium est, quin D. Scheckius sedulò enixus hoc suo libello sit, vt suorũ partes extolleret, nostras verò omninò prosterneret. Rationib° Theologicis id præstare se nõ posse sensit,

nullum nanque telũ ex Schola Theologica in noſtros iaciendũ ſibi integrum videbat eſſe, quod iampridem à clariſſimis & piiſſimis viris. D.D. Bullingero, Martyre, Beza, & nuperà doctiſſimis & ſummis Theologis Hydelbergenſibus D.D. Dillero, Vrſino, Boquino, Oleuiano, Datheno in colloquio Mulbrunẽſi ſtrenuè aut fractũ aut in ſuos reiectum non eſſet: Quapropter ad phyſicam Scholam ſe conuertit, ex qua nonnulla trita & multò antea à Scholaſticis, in iuſtiorem tamẽ vſum ſumpta, deprõpſit, quibus ſuorũ dogma, aut tegereaut ſaltẽ obli nire aduerſ⁹ noſtros ſe poſſe putauit. Hæc ego in Præfatione dixi, nihili facienda eſſe, quod veriſſimè ſcriptum eſſe oſtendam, ſi prius nonnulla mea interiecta verba declarauero: ea vero ſunt:

Sed verendum fuit, ne quod Auerroes de ſuo Algazele teſtatur, viri nomen & exiſtimatio, quorundam errorem confirmaret, qui homines potius quàm rationes audire ſolẽt.

Aſpe-

Asperior hęc comparatio D.Scheck. visa est,quantũ ex verbis libelli ipsius postremò editi, coniicere potui. Sed audiat iam,illam vnam,sibi quàm maximè conuenire. Constare apud omnes arbitror, Algazelem inter Arabes Philosophum summum & clarissimum maximíq; nominis apud suos extitisse, vt testatur Auerroes, in disputationibus suis. Eo autem tempore,aut paulò antè vixit,quo Auerroes ideſt anno M.C.L.vt ex Egidio colligi potest, eo nimirum tempore, quo in Hispania & in ea parte Affricæ regionis quæ Hispaniam ferè attingit, Christiana religio vigere cœperat. Erant autem eo tempore miseri illi & cæci Philosophi,singulari Dei dono plus nimio superbientes,Christianorum inimici, quòd animaduerterent turres & castra humanæ huius scientiæ,sacrę & cælestis doctrinæ dogmatibus funditus euerti. Contrà, Christiani odio illos prosequebãtur,quòd tam excellenti, vtili, necessariáque profes.one abuterẽtur. Algazel hæc

Lib.2. quolib. q de vn. Mentis.

animaduertens, veritus ne in Christianorum maleuolentiam incurreret, auxilióque eorum si opus esset, destitueretur, libello quodam edito, se ab omni suspicione apud Christianos liberare voluit. In eo, aduersus Philosophos de æternitate Mundi, de Dei efficientia, vnitate, simplicitate, scié-tia, aliisque, eiusmodi tam ad Theologiam, quàm ad physiologiam pertinẽtibus disputat. Cæterùm Auerroes, qui, vt summ⁹ Philosophus erat, ita omnes libros & paginas quæ Physiologicum aliquid redolerent, accuratè conquirebat, & expendebat, cùm in hũc librum incidisset, de eo refellendo statim cogitare cœpit. Quod deinceps præstitit, libello quodam suo qui inscribitur, Destructio Destructionũ Algazelis. In cuius præfatione, profitetur se ad refutanda dogmata Algazelis non ideo impulsum fuisse, quia illius rationes multi momenti essent habẽdę, sed quia vereretur, ne hominis nomen, & existimatio, errores posterio-

steriorum confirmaret. In disputationibus verò suis, quanuis rectissimè cognosceret, Algazelis argumentationes in eum tantùm finem propositas esse, vt Physiologica dogmata funditus euerterentur, non semel tamen Algazelē in eo coarguit, quòd id ipsum insçius atque imprudēs tueatur, quod à se impugnatum iri existimabat. Hoc non modò ex ipsa priori disputatione, verùm ex quàm plurimis aliis locis cognosci potest. Det nunc D. Scheckius Auerroi, Exempla non idcirco afferri, vt omnino vera & conuenientia sint, sed vt alia patefaciāt, Concedat item, Galenum (vt Aristotelem & Platonem omittam) in Erasistratum aliósque sui temporis, aut vetustiores medicos, quātumuis minima oblata occasione, indignioribus cōllationibus rectè vti, fateri quoque cogetur, me non adeò in politiam Christianam peccasse, q̄ de eiº conatibus, & summa existimatione agens, Algazelis exemplum in medium

dub. p.

Auer. 2. de an. com. 97

dium attulerim, cùm præsertim, ad ipsius potius laudem quàm vituperationem (quãtum ad collationem pertinet) omnia relata esse, agnoscere facilè possit.

Quare duplex iis qui physica assiduè conquirunt, & excutiunt, munus incumbere videbatur: vnum vt physicè contradicendo, Homnis physicè de re Theologica agentis, sententia non satis recta esse demonstraretur? alterum, vt eius rationes, partim vt parui per se põderis, partim etiã vt non satis commodè expositæ atq; accõmodatæ, melius declararentur.

Hîc primum omnium ingenuè illud repeto, Viri optimi piissimiq;, Communia studia, amicum me quidem iam antea D. Scheckii fecisse, existimationem verò eiusdem summam, ętatem, morésque, vt audio, Christianos, obseruantissimum: nunquam tamen me illi fore assentatorem. Quare æquo animo patiatur, vt ab quo (quod aiunt) vsque ad mala, physica illa ipsius paulùm excutiam: quod propositæ meæ defensionis ratio, omnino

mnino exigit. Sed & illud peto, vt veniã mihi dẽt æquilectores, ſi inuſum ineruditiorũ in quorum manus hæc noſtra aliquãdo venire poterũt, pluſculum quàm par eſſet, in diſciplinis hiſce, hoc in loco vagari videbor. Duo ſunt, in quib⁹ rationes phyſicas D. Scheckii coarguendas eſſe iudico: vnum eſt, q, vanę & nullius momenti ſint: alterũ quod aliò quàm oporteat traductæ: Vtrunq; in præſentia, à primis exordiẽdo, verũ eſſe demonſtro. In inſcriptione libelli, vt animos fortaſſe ſuorum magis paſcere primo aſpectu poſſet, hæc habet. De vna perſona & duabus naturis Chriſti, ſentẽtia Iacobi Scheckii D. Medici & Philoſophi clariſſimi, profeſſoris Scholæ Tubingenſis, ex fundamentis quidem Scripturæ ſacræ, Analyſi autem Philoſophica, & piè & eruditè explicata. In hac parte, quæro quid ſit iſta Analyſis Philoſophica, De cæteris verbis nõ laboro: de his laborare debeo, quòd verear ne hac ſola inſcriptione,

insigni nomine Analysis Philosophicæ decorata, decepti plerique ex nostris aduersariis, reliqua non curantes, post libellum editum ita superbierint, vt ausi sint dicere, se os aduersariis suis obstruxisse. Quid hęc verò analysis est? methodus ne, an ordo analyticus? Paucis rationem petitionis explico: Aristoteles omnem rationis decursum vel in actione, vel in effectione, vel in contemplatione versari affirmat: vnde quinque illi habitus quibus affirmando vel negando verum assequimur sexto Ethico enumerati, oriuntur: Ars nempe & Prudentia, ex actione & effectione, Intelligẽtia verò Sciẽtia & Sapientia ex contemplatione extunduntur. An habitus illi quos organicos Græci vocant hac diuisione comprehendantur, nunc non disputo, mihi certè, comprehendi satis cõstat, cùm quia, communissima est illa vox διάνοια, & alia cõmuniore vix vti potuit Aristoteles: tum quia, non tollit naturam habitus

6. Met. cap. 1

aut

aut agentis aut efficientis, organi vice & munere fungi, quemadmodum etiam, tam organicæ quàm prçcipuç corporis humani partes, pro partibus æqualiter habẽtur. Hi ergo organici habitus, quemnam vsum aliis potioribus afferunt? certè aũt disponunt res per alios habitus traditas, aut dispositas patefaciũt. Priores, voco Ordines: posteriores, Methodos. Illorũ munus proprium est disponere: horũ verò dispositа per notiora probare. Quanuis Aristoteles plerunque his vocibus abutatur: non discedo tamẽ à Grecis, qui in prætationibus suis, inter ordinem doctrinæ & viam doctrinæ, discrimẽ perspicuum ponũt. Verùm, non sunt hic ista diligẽtius perse quenda: Quare ad reliqua pergo. Ordo doctrinæ (idest disponens doctrinas) duplex est, Essentialis vnus: alter accidentalis. Vtrunque ab Aristotele & Galeno habemus. Voco essentialem, illum qui à natura rei ducitur: Accidentalem, qui vel a cõmodiori

Gal. l. art. med cap. 6

5. met. cap. 1 p. de art cap. 6

tractandi occasione, vt ait Philosophus, vel ab eo quod maximè vrget, vt Galenus inquit, peti solet. Sumamus in manibus Essẽtialem. Hic aut vniuersalis aut particularis est, idest, vel in tota atque integra arte consideratur, vel in aliqua tantùm Artis particula. Vniuersali cognito, iam particulare quoque cognoscetur, quare de eo dicamus. Sit igitur hoc primò constitutum, omnem ordinem esse & dici respectu alicuius primò positi, aut intellecti, teste Auerroe: quod item ex Arist. elicitur multis in locis, præsertim tamen duodecimo metaphysices. Pro ratione ergo illius vnius primò positi, diuersi item ordines orientur. Atquî illud vnum, ad quod omnia referuntur, magni certè momẽti sit oportet, cùm alia quodammodo complectatur, contineátque. Sit igitur vel Principium, vel Medium, vel Finis. Si finis, emerget ordo Resolutiuus: si medium Definitiuus: si principium, Compositiuus. Hoc modo intelligen-

5. met. cap. de priori

cap. vlt

telligendus est Galenus cùm inquit: Ordines doctrinæ, ideſt, habitus organici quibus doctrinæ ordinantur, & diſponũtur tres ſũt. Leonicenũ hîc & Gentilem non ſpecto: tantùm dico quid ſentiã: Non licet autẽ in præſentia pluribus explicare quid cõpoſitiuus, aut definitiuus ordo ſit, cùm planè Philoſophum aut Medicum agere nolimus. Definiatur itaq; ordo Analyticus tãtùm, hoc modo: Eſt habitus organicus, quo vniuerſa quæ in diſciplinis traduntur ad vnum finem ordinamus diſponimúſque: quò reſpiciẽs Galenus inquit, Doctrina Analytica ex notione finis efficitur. Hſc in tradẽdis artibus, quòd ad partes attinet (miror hoc à tam paucis fuiſſe animaduerſum) locũ ſuum pręcipuum habet: nam quòd ad totas ipſas & integras artes ſpectat, Compoſitiuus obtinet. Rationva eſt, quia ibi formalium partium reſpectu, Analyſis efficitur: hîc vero integrantium. In diſciplina Ariſtotelica, Dialectices, & Politices

1. art. med. cap. 9.

1. art. med. c. 1

seu de Moribus, id facilè cognoſci po
teſt, hoc modo verba Ariſtotelis in
Cap. 3 tertio Ethico, & Auerrois ibidem
ſunt intelligenda. Nunc de Metho-
dis. Sint hæ, Habitus organici, ignota
problemata & Theoremata iã ordi-
nata diſpoſitáque, per notiora pate-
facientes. Non me latet, multas eſſe
apud Græcos huiuſce vocabuli ſigni-
ficationes, ſæpiſſimè item Methodũ
cum Ordine cõfundi, quòd vix ordo
ſine methodo, nunquam autem Me-
lib. de constit. art. med c. 6. & alibi thodus ſine Ordine reperiatur. Gale-
nus præter cæteros, eſt nobis iſtius cõ
fuſionis ſexcẽtis in locis autor. Sed
ſpectanda nobis in præſentia propo-
nitur natura rei. Quid inter Proble-
ma, & Theorema intereſſe poſſit, ex
Proclo pluribus diſci volo. Eſt in ſum
ma πρόβλημα cùm res ſolitaria quęren-
da proponitur, vt ſit an non ſit vacuũ:
θεώρημα, cum an res, rei inſit quæritur,
vt an aſtra, ſint numero æqualia. Reli
qua in definitione Methodi poſita,
ſeipſis perſpicua ſunt. Quæro igitur

quo

quotuplex sit methodus: Respondeo in præsentia, hoc hauriri nõ posse nisi ex natura rerum quę docentur, & declarantur per methodum. Sed aliâs quidem de his aliter, nunc ita placet: cùm præsertim à Platonis Aristotelisque præceptis ne latum quidem vnguem discedam. Res igitur quot modis ignota erit, totidem nota efficietur: tot scita esse, quot quæsita Philosophus ait. Ignorãtur autem istain rebus, an sint, quò reuoco illud quotuplices sint, quid sint, an insint, propter quid insint. Methodo vna genere hæc omnia docentur, idest demonstratione: clame nt quantum velint alii. Si Methodus à noto ad ignotum decurrit, argumentatio est: Multæ sunt argumentationis species, vt ait Aristoteles, & ex Alexãdro liquet, sed illas si rectè habeãt, vt imperfectas ad syllogismum reuoco, cum Themistio. Syllogismus duplex, Demonstrans Dialecticus: ille ex veris & primis, aut iis quæ ex primis deducta sunt, constat,

in Teæt in 2. de ort. c. 4

2. post. an. c. p.

2. prio. in fine 1. Top. cap. 1

1. post. an. c. 1

vt initio primi Topici ſcribitur, hic ex probabilibus. Dialecticum ſyllogiſmum in pręſentia, ad Demonſtrationem reuoco: poſſum equidem reuocare, Alexandri autoritate fretus. Cõcludatur igitur tandem, Methodum nil aliud eſſe quàm triplex Demonſtrationis genus, quod Ariſtot. propoſuit, Auerroes vero vigilantiſſimus interpres propalauit, à quib⁹ Themiſtius & Euſtratius non diſſentiunt. Sit ergo vna Methodus, Demonſtratio dans cauſam: Altera Effectum tribuens: Tertia vtrunque. Diſtinguũtur hæ Methodi non modò accidente quodam, vt Albertus exiſtimauit, ſed etiam eſſentialiter. Quid ergo, dicet quis, Methodi Diuiſiuæ, Reſolutiuæ, Definitiuæ ab aliis propoſitæ nullæ ſunt? Reſpondeo, nullæ prorſus vt Methodi, ſed vt Ordines nõnihil ab vniuerſalibus illis diſcrepantes. Si quidẽ definitio, tantum abeſt vt probet ignotum per notum, vt non ſit etiam propoſitio, liquet ex Ariſtot. 1. poſt. ana-

Ariſt. p. po. an cõt. 21 44 Auer. p. poſt cont. 7. 8. 10 item in quæſitis log & in p. phy. in præf.

Cap. 1

analyticorum: locus quidem ille ſub-obſcurus videtur, ſed intelligenti planiſſimus. Nō ergo probare aut patefacere quicquam Definitio poteſt, niſi quatenus aut principium in Demōſtratione, aut ipſa demonſtratio eſt ſolo vocum ordine, mutatione, ſeu caſu, à demonſtratione differēs. Id ibidem docuit Ariſtoteles. Res certè ſcitu digna & multis obſtructa difficultatibus, ſed aliâs examinanda. Idem ſtatuo de Reſolutiua & Diuiſiua Methodo, vt iſti vocant, quod de Definitiua: neque enim probant aut patefaciunt, niſi vi demonſtrationis in quā accipiuntur, & à quibus etiam non ſemel apud veteres tam Græcos quàm Arabes, Demonſtratio ſumit denominationem. Sunt ergo Reſolutio & Diuiſio ordines poti⁹ quàm methodi. Si libros illos de Diuiſione & definitione Ariſtotelicos haberemus, quorum Diogenes Laertius & alii mentionem faciunt, hoc nobis certius cō ſtare poſſet. Idcirco nunc colligo or- cōt. 22

dines tam in totaſc iẽtia qu m in par te, locum habere, Methodum verò in parte ſolũm ſpectari. Dicet iterum quiſquã, ſuperius cũ enumerarentur Ordines, nulla mentio de Diuiſione facta eſt: Reſpõdeo, me illam ad Reſolutionem referri voluiſſe: neq; enim ab ea differt in alio, quàm quòd Diuiſio deſcẽdit, hæc aſcendit. Ordo nanque diuiſiuus, à primo & maximè vniuerſali incipit, atq; in ea deſinit, quę nullam amplius ſectionem patiũtur, Analyticus verò à compoſitis ad partes ſimplices & conſtituentes, ideſt ad priora, à poſterioribus (quicquid Zimara non bene Auerrois mente 2. met. 11. percepta, dixit) tendit aſcendendo, naturáſq; diſperſas in aliquod commune quaſi componendo: proindéque aliquando, idem hic ordo, compoſitiuus nũcupatus eſt. Diuiſio hæc eſt, ſubſtantia aut Corporea aut incorporea: corpus, vel anima præditum, vel inanime: animal vel rationis capax vel expers. Analyſis

contrà

cõtrà, vt inquit Galen°, ab indiuiduis ad prima genera, ideſt à compoſitis ad ſimplicia conſtituẽtia & generalia per media aſcendit. Nolo iſta diligẽtius in prẽſentia perſequi. Illud ſolũ monere non prætermittam, multis modis, iſtos ordines ab interpretibus ſolere proponi, deſcribi, declarari: nos eos eligimus, qui magis proprii ſunt, & ad quos facilè, quiſque omnes alios reuocare poſſit. Nunc iterum peto à D. Scheckio, qualis nã ſit Analyſis illa Philoſophica, ad libellum accõmodata, Ordo ne an Methodus? Methodum nõ dicet niſi impropriè, vt oſtendimus: Erit ergo Ordo: tunc rogo omnes vt diligenter conquirãt, & expendant omnes ſignificationes huius vocabuli Analyſis, propoſitas à Damaſceno, Alcinoo, Alexãdro, Philopono: quòd ſi reperiant, aut reperire poſſint vllam ex illis, huic ordini aut hiſce (ſi vult) Methodis Scheckianis proptiè conuenire, grauiter reprehendi non recuſo. In ſumma reſolu-

2. de dif. pulſ. c. 6 9. de plac. Hipp. & plat. cap. 5

lutio propriè illa dicitur quæ est contraria compositioni, vt Auert. p. post. com. 82. explicat. Hęc & Artificiosa, & Naturalis, & Mathemathica & Logica esse potest. Illa Scheckii non est Artificiosa, nō est item Naturalis, vt liquet: non est etiam Mathematica, quia in hac, teste Alexandro & Philo pono, Theoremata in principia resoluuntur, atque ea deinceps in alia priora, & magis immediata. Nō multum ab hac Logica distat, in qua, vt Themist. p. post. cap. 26. inquit, conclusione vera cōstitutavenamur propositiones ex quibus illa condita est. D. Scheckius nihil eiusmodi præstat, si exempla à Græcis proposita, ad harum Resolutionum naturam aperiendam proposita, sequi velimus. Videtur quidē velle præstare, sed quidquis aliud efficit. Non expecto à D. Scheckio mathematica & leuia quædam, Iam noui Analysim idem Aristoteli aliquando esse quod Demonstrans ratio, vt p. post. 98. iuxta sec.

Philo

Philoponi: sed illud vnũ quæro, num talis Analysis aut in toto libello aut in partib⁹ illius à D. Scheck. adhibeatur, quæ pro tam insigni inscriptione præponi debuerit. Nunquam certè aliquid ad hoc astruendũ ex suo acutissimo ingenio afferet D. Scheck. ita solidum & integrum, vt in eum illud iure semper cõuenire non possit, quod Aristot. de Protagora loquens ait, videlicet: Nihil dicẽs, egregium aliquid dicere videtur. Ordo Analyticus, qui maximè in tradendis disciplinis vsui esse solet, est cùm proposito fine, omnia ad illũ spectãtia quærimus: cætera siquidem omnia propter finem efficiuntur: non autẽ propter reliqua, finis. Finis est definitio. At vbinam in libello D. Scheckii definitio posita sit, ignoratur. De energeia personæ Christi primùm, mox de essentia eiusdem & substantia, postremò de proprietatibus, disputandum sibi esse proponit. Rectè scilicet: Cur non primùm de reipsa, mox de pro- Pag. 8

prietatibus & energ{ia} a natura rei petita dixit? At quæso quid inter energ{iam} & proprietatem hoc in loco discriminis affert, nisi proprietatem ad facultatem, energ{iam} ad actionem ipsam reuocet? Atquî est nihil aliud energ{ia}, quàm facultas ipsa semet patefaciens, proindéque ab Aristotele expletio & absolutio facultatis vocatur: cur ergo vbi de proprietatibus personæ Christi egit, non ibidem de energ{ia}? De vocabulo officii non valde laboro, si necessitatem incarnationis, reparationē humani generis, eo intelligat: omnino ergo, fuit energ{ia} & proprietas Christi, ex persona eiusdem hauriēda: quarè primo ista definiēda, mox illa pertractanda. Hūc ordinem seruauit Thomas de rebus hisce disputans: liquet ex quęst. tertia de vnione Verbi incarnati, articulo primo & quinto. item, ex tertia parte Summæ, à quæstione prima, vsque ad sexagesimam. Atqui Aristoteles ipse docuit, optimæ definitionis munus esse,

4. phy. 31

esse, dissoluere omnia de quibus dubitatur, ostendere an ea quæ videntur rei definitæ inesse, ei conueniant: postremò, causas dubitationum omniũ quę de ipsa fiunt, explicare. Auer. ibidem, & quarto cœli, necnon primo de anima confirmauit, ipséque D. Scheckius hoc item fatetur pag. 11. 15. Afferet aliquis pro D. Scheck. Aristotelicã de loco disputationẽ nonnullasq; alias eiusmodi: Sed animaduertat is, ne multiplici nomine decipiatur. De vocabulo, Philosophica, nil dicerem, nisi viderem D. Scceck. aliquid discriminis inter Physicum & Philosophicum alicubi ponere voluisse. Philosophię nomẽ idem apud me significat, quod apud Pythagorã & ipsum etiam Aristotelem, ideſt sapientiæ studium: sapientiam verò voco, non bona corporis, non honores, neque ea quę horum gratia fiunt, discuntúr ve, sed rerum altissimarum cognitionẽ. Ergo philosophia nil aliud erit, quàm contemplatio & specula-

Com 2. com. 22.

lin. 9 lin. 14 lin. 17

in lib. postremò edito. pag. 7. lin. 3

tio causarum & effectorum naturalium, potissimùm verò Dei, istorum omnium Cõditoris. Hæc nãque propriè altissima splendidissimáque esse dicuntur: ac proinde illi tantùm philosophi erunt habendi, qui eiusmodi rebus operam dant. Vnde sequitur, tam Physiologiam quàm Metaphysicen, & Mathematicen, Philosophiæ nomine propriissimè contineri. Dubitat fortasse de physiologia, nam de reliquis magis constat: habeat ergo
Cap.1 id ex Aristotele in libro de sensilibus, & æstheteriis sensuum, & initio libri de sanitate ægritudinéque. Quid si dicam, nomine physiologię omnes illas tres disciplinas enumeratas contineri? Ratio certè id euincit: siquidẽ omnes à sensu ortum duxerunt: præ-
cap.vlt. cont.21 terea Aristoteles, primo post.analy. & secũdo metaph. disertè hoc declarauit. Sed veniamus ad grauiora. In pag.6.vt licentiam quouis modo per campum Diuinum excurrẽdi sibi sumat, de Eruditione loquitur, quam

vocat

vocat Philoſophiam. Hanc illam eſſe aſſerit, qua videre quiſpiam poſſit, quid in quaquam re de qua diſputatur inſit veri vel falſi: Vera hæc ſunt, & ſumpta ex ore Ariſtot. Verba Philoſophi ita, ni fallor, habent (ni fallor inquam, quia D. Scheckius hoc habet familiare & perpetuum, vt nunquam loca Ariſtotelis adducat, credo vt legentes, omnibus quibus poteſt modis torqueat) Hominis probè " periti officiũ eſt, iudicare perſpicuè " poſſe quidnã rectè aut nõ rectè ab eo " qui docet exponitur. Non contentus " his D. Scheckius addit, Methodum hanc, ſeu Eruditionem, nõ afferre materiam, ſed propoſitam rectè tantùm digerere diſponeréque. Hoc eſt falſiſſimum: quia munus diſponendi & digerendi ſolius Dialectici eſt, qui quatenus Dialecticus, Eruditus dici nequit, niſi Stoicorum more loqui velimus, de quibus aliâs Alexãder loquutus eſt. De cepit D. Scheckium Albertus, Auerroes, & Epheſius, qui omnes

p. de part. a cap. 1

p. Top. in præf.

ad artificiium & modum docendi verba illa Aristotelica referũt. Sed oportuit considerare Aristotelis scopum, & verba, quæ aliter sonant. Vult ibi Aristoteles duos elicere habitus: vnũ quem scientiam rei vocat, alterum vero peritiam: ille firmior, certior & constantior est: hic tenuior, leuiorque, latius tamen patens: affert prior principia rei propria, posterior verò, etiam communia, vbi opus est, tractat. Primus, quia exactor diligentissimus est, essẽtialium, propriarum, verarum causarum, limites nũquam suos transilit: secundus liberalior, tãtam affert licentiam, vt quibuis quoque loco si opus sit, tractari concedat: quem habitũ Eruditionis Aristoteles in tradenda animalium historia induere se velle fatetur. Atquî si eruditio, tantùm disponeret digereretq;, quo modo Aristoteles ita loqui potuisset.

" Sed hunc omnibus ferè in rebus vale-
" re iudicio arbitramur, numero vnũ,
" illum verò certè alicui naturæ dele-

gamus,

gamus, fieri nanque poteſt, vt rem v- "
nam quiſpiam, it avt alius omnes poſ "
ſit iudicare. Certum eſt, hîc non illum "
qui ὅλως πεπαιδευμένος vocatur, cũ illo qui certę alicui naturæ ἀφωρισμένος appellatur, vt Epheſius ſõniauit, ſed vt quidã Anonymus interpres cenſuit, Eruditum cum Sciente cõparari. Id liquet, ſi ea ſpectẽtur, quę primo metaphyſico Ariſtoteles de experimento diſſerens, tradidit. Hunc habitum Eruditi non ſemel induit Ariſtoteles: Videamus ergo an illo ita veſtitus aliquam afferat materiam, vel propoſitam tãtùm vt opus eſt, diſponat. Peruulgata illa quæſtio eſt, An Categoriæ ad Logicum pertineant: Reſpondetur & veriſſimè, ex ſententia Græcorum, omninò pertinere, & non rectè illos ſentire, qui illas omnino in Primam philoſophiam detrudere volũt. Quæritur rurſus cur ad Logicum pertineant: Reſpõdẽt Euſtratius & Auerroes, quia ſunt ſubiectum & quaſi ſtratum, cui Logicus artifex ſuos fines & ſuas

2. poſt. 324. In 1 epir. log.

notiones(ſunt iſtæ,ſubiectum,prædicatum,propoſitio,argumentatio,genus, ſpecies, definitio alięque huiuſmodi)applicare vult. Nam de ſubiecto artium loquẽs Ariſtoteles primo politico inquit: Voco materiem,ſubiectum ex quo opus conficitur,vt textori lana quaſi materia ſubiicitur, æſtatuario. Tertiò petet quis, quî fieri poſſit,vt Ariſtoteles agens Logicum, de Decem categoriis loquatur? Reſpondetur illum traditurum ſui ſtrati notitiam tenuem, (hoc fit in artibus omnibus , nam faber lignarius, non plenam ligni cognitionem habet,ſed illam Philoſopho relinquit)habitum hominis Eruditi,ideſt in cunctis rebꝰ verſati induiſſe, proindéque in categoriis tractandis nonnulla ſumpſiſſe de Metaphyſica, vt numerum Categoriarum, nonnulla etiam de Mathematicis,vt ex cap.de Quantitate cognoſci poteſt, multa de Phyſiologia, vt vbique conſtat. Imò hæc ſola ratio eſt, cur Ariſtoteles in aliena tractatione

Cap.5

one fusius aliquãdo res quasdam explicauerit, quàm in propria. Hunc eundem habitum in sexto Ethico habet, cùm de habitibus Mentis tam copiosè disputat: quæ tota disputatio ex Metaphysica desumpta est, vt ex contextu sexto primi libri eius tractationis, cognosci potest: sunt nanque habitus illi, entis quatenus entis affectiones. Si hoc est disponere & digere re tantùm, vera loquutus est D. Scheckius: at si sit nouam, extraneam, atq; aliunde prorsus petitam materiam afferre, falsa. Sed audiatur postremo loco Eustratii de hac re sentẽtia. Is in primo Ethico explicans Aristotelis verba in hunc modum loquitur: Eruditũ voco hominẽ, multarum rerum sciẽtia prædituũ. Cæterùm si Eruditio ista Aristotelica nullã materiã nouã affert, sed inuentam tantùm digerit atque disponit, cur quæso D. Scheck. Eruditi habitu indutus in hoc suo libello, propositiones quasdam physicas, quędam item Dialectica præ- Cap. 3

cepta congeſſit? Rogo, num eruditus eo tempore D. Scheckius iudicari velit. In articulis exponendis, quod ad primũ attinet, rectius loquitur, quàm in Diexodo, (inculcat ipſe quidem vt ſolet multa verba Græca, quõ etiam nomine teſte Cicerone irrideri poſſit: ego vero niſi ſint verba nimium ſordida vt intelligar ab omnibus, Latina omnia proponam). In diexodo inquã quatuor ſpecies incommunicabilitatis proponit, ex quatuor vnitatis ſpeciebus à Thoma allatis, & rectè. In eo verò reprehendendus, quòd abſolutè affirmet, ex tertia vnitatis ſpecie, qua nempe forma & materia vnum efficitur, vnum incommunicabile cõſtitui: Nõ ita abſolutè loquũtur Scholaſtici. Sed iam agnoſcat ſe Ariſtoteli repugnare, qui primo libro de cælo docet omnem naturã ex materia & forma cõſtantem, pluribus eſſe communem, niſi aliquid ſit, quod ex tota ſua materia conſtet, vt mundus. Materiç preſentiam multiplicationis indiuidu-

in lib. de off.

3. parte ſum. q. 2. art. 1

cõt. 92. & 93

diuiduorum cauſam eſſe, ex duodecimo metaphyſico conſtat: qua etiam ratione Plato, Materiam infinitatem vocauit. Explicantur hæc pluribus ab Auerroe in lib. de Subſtantia orbis quò ſtudioſos remitto. Atquî nota eſt omnibus illa eiuſdem propoſitio, Tranſmutatio & ſucceſſio fecit ſcire materiã. Quę hîc aduerſus nos afferre poſſet D. Scheck. ſunt quæ de Cõtingentia nonnulli iampridem propoſuerunt: atquî nil iſta eius cauſæ proderunt: preterea, iampridem fuerunt à doctis viris exploſa: contingentia nãque nil aliud eſt quàm modus Entis, ſequens ipſum ob materiam quam habet annexam, vt ex Ariſtotele cognoſci poteſt: ſi ergo materia ſit contingentiæ cauſa, quî fieri poterit, vt conueniẽtius materiæ effectus, quàm materia multiplicationis cauſa conſtituatur? Concludatur ergo hæc à D. Scheckio non fuiſſe rectè expoſita. Atq; illa minus, quę deinceps addit Ex ſubiecto videlicet & accidente, v-

cap. vlt. 7 met. Lib. de Interp. cap. de modal.

num effici incommunicabile: verum quidem est hoc: at quid aliud est subiectum cum accidente, si communiter loqui volumus, quàm indiuiduũ? quàm singulare? quàm particulare? at si in genere substantiæ manere velimus, quid aliud est subiectum cum accidente, quàm Hypostasiis? quàm suppositum? si denique substantiam rationis participẽ spectemus, quid aliud quàm persona? Certè in substãtia particulari nihil aliud quod ad naturam vniuersalem nõ pertineat, reperitur, præter materiam, quam supra multiplicationis causam esse statuimus: accidentia ergo indiuidui sunt, quæ materiam ipsam determinant, quęque hypostasim constituunt. Cur ergo modum hunc vnionis à secundo seiunxit, quem esse exposuit, cùm constituentia faciunt constitutum incõmunicabile, vt essentia Diuina & differentia hypostatica? Irridebit me fortasse D. Scheckius, quòd in personis Diuinis accidens ponere videar:

Thom. de vn. verbi incarn. art. 2

At

At ego iſtud negabo, & negabo item iuxta Thomæ ſententiam, vocabulũ hypoſtaſis Diuinis perſonis propriè cõuenire: verè nanque, & vbique ſub ſiſtendi vocabulum duo ſignificat, primum quòd res in natura exiſtat, ſecundum quòd alicui proprietati aut accidẽti ſubſternatur, idcircoq; propriè tantùm ſubſtantiæ compoſitæ quæ ex materia & forma cõſtant, ſubſiſtunt. Scio hîc D. Scheckium poſſe nonnulla pro ſe afferre, & admodum etiam leuia, ſed ſemper id euincam, malè iſta & perturbatè expoſita fuiſſe. In ſecundo articulo proponendo, Scholaſticorum ſimilis eſt: at in explicando, confundit omnia. Fatemur ex Ariſtotele ſeptimo Metaphyſico, ex duobus actu ſubſiſtentibus, non conſtitui vnum per ſe, quandoquidẽ actº ipſe ſit qui ſuppoſita ſeparat atq; diſiũgit: ſuppoſita, inquam, ne hac propoſitione ita ego abuti videar, vt D. Scheckius abuti velle videtur, cum illam in vniuerſùm accipiat, Princi- con. 49 8. met. cõt. 11. & 12. met. cõt 27

pia verò ipsa distinguentia, seipsis tãtùm non alia forma, distinguantur, vt
Zim. theor. 2 Docti viri aliàs annotarunt. Sed declaranda paucis est propositio ista, quòd ad vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum aperiendam pertineat. Si actus & forma vnũquodque ab altero seiungit, quî fieri poterit, vt ex duobus propriam formam conseruantibus vnum actu efficiatur? quandoquidem ad vnum actu constituendum exigitur, vt non singula componentia, singulas retineãt formas per quas sunt actu, sed in vnicam aliquam aliam communem formam transeant, qua contineantur: Vnde negamus Christũ esse aliquid hoc modo constitutum, quia oportuisset Diuinam naturam mutari & addi, sicut & humanam. Ex quo præter cætera absurda illud sequutum fuisset, Christum: neque verè Deum, neque verè Hominem esse: nam quod ex vtrisque constitutum emersisset, neque Diuina neq; Humana natura

fuisset

fuisset. Species rerum imitari numeros alibi Aristoteles docuit, quibus nil addi aut adimi potest, quin statim eorum rationes destruantur. Vnde iure monendi sunt omnes pii, vt non modò abhorreant à propositionibus istiusmodi, puta, Caro Christi est omnipresens, aut, Christus secundũ humanitatem est vbique, verùm etiam vix illam cõcedere audeant, nempe, Christus est vbique, nisi statim modũ audiant quo Christus vbiq; esse dicatur: quanuis enim maxima sit vnio Diuinæ naturæ & Humanæ, quod ad dignitatem attinet, atq; id, in quo vniuntur, id est Verbum, seu persona Diuina, quantùm tamen ad intrinsecã vnionis partium seu naturarum inter se rationem, non inter maximas collocanda est, cùm non nisi vt causa, & causæ organum vniantur, constet autem, multas alias vnionum species esse, quarum extrema magis & intimius vnum efficiuntur. Cauendum est igitur ne quis verbis illis D. Sche- 8. met. 10 5. met. 19

ckii decipiatur, quę in pag. 19. habet: cùm nempe inquit: *Actus igitur rationem, seu instar cuiusdam actus, Verbum habebit, non tam ratione naturæ quàm ratione personæ diuinæ seu verbi, respectu scilicet naturæ humanæ, vt quæ duntaxat assumpta sit à verbo quatenus natura, & non quatenus persona, habens instar quoddam cuiusdam συνάμεως.* Cauendum est inquam ab his verbis, propterea quòd quãuis verbũ ratione suę efficientię & perfectionis, actus sit & dici debeat: natura autem humana vt quæ perficit verbi respectu, potestate: tamen si natura Diuina & Humana quod ad mutuam vnionem considerentur, non magis verbum actus & forma Humanę naturæ dici potest aut debet, quàm causa dicitur esse forma, organi proprii quod sibi habet adiunctum. Sunt ergo Diuina & Humana natura, in vna persona vnita atque indiuisa, quatenus scilicet vna persona simplicissima existens, in vtraque natura subsistit, quarum tamen vna, alterius forma non sit,

sit: neque verò necesse est, vt eorum quæ in vna persona vniuntur, vnum sit forma alterius, vt in Logica & Musica patet, quę in persona Socratis vniuntur, Humana vero natura, & persona vniuntur, atque in vno Esse sunt in diuisa, quatenus videlicet humana natura, ad Esse diuinæ naturæ personæ trahitur, vt sit idem Esse & personæ Diuinæ, & naturæ humanæ. Quo etiã modo non necesse est, vt quæ in vno Esse indiuisa sint, sic habeant, vt vnũ sit alterius forma: manus nanque & pes Socratis, in vno Esse conueniunt, neutrum tamen est alterius forma: Verbũ ergo non est forma Humanæ naturæ, sed Diuina natura quæ forma Verbi est, suppositũ humanę naturæ informare dicetur, quomodo animal nõ informat pedẽ: sed forma dãs esse animali suppositum pedis informat. Quapropter hanc quidẽ vnionẽ, quæ in incarnatione Verbi spectatur, maximam, & ipsã etiã Trinitatis vnionẽ quodãmodo excedentẽ, indiuisibilissimámque esse fateamur: videamus

Vide pro hac re Tho. in pr. contra gēt. cap 26 & 27 & quæ ib Ferr. annotauit.

tamen ne dum illam nimium extollere velimus, ex vnitate personali, ad vnionem naturæ ascendamus, quod est Eutichetis. Hæc ex Scholasticis deprom ere volui, vt discerent posthac nonnulli non plus ἐξουσία illi Scheckianę tribuere, quā oporteat: Quo

pag. 22 etiam in loco annotare placet, quàm nimis audax D. Scheckius esse voluerit, cùm vnionem Diuinæ & Humanę naturæ in Christo ad vnitatem ordinis referre voluit: vnitas enim ordinis non ita intimè vnum constituit vt vnitas Verbi & humanæ naturæ. Hinc fit, vt pars quæ alicuius vnius ordine sit, aliquam habere possit operationē peculiarem, quę totius, operatio non sit: quomodo miles in exercitu operationem aliquam potest habere, quæ totius exercitus non sit. Hoc sanè nullus de partibus personam Christi cōstituentibus dicere audebit, nil enim efficit humanitas aut Diuinitas Christi, quod non ad totum ipsum Christū pertinere dicatur: quid enim agit Diuinitas

uinitas Christi non conscia & non cõ sentiente humanitate? quid item humanitas, non administrante & quasi imperante diuinitate? profectò nihil. Quod tamen non dico, vt Scheckianum illud probem, Diuinitatẽ Christi nihil agere nisi per humanitatem. Qua etiam in re mirandum venit, D. Scheckium nonnisi de triplici vnitatis specie mentionem fecisse, atque explosis duabus primis, nẽpe vnitate quæ informationis, & quæ aggregationis causa efficitur, tertiam quã ordinis ponit, intulisse? Cur non de vnitate per connexionem & continuationem loquutus est? an nõ extrema huius sunt οὐσίαι quemadmodum est illarum? nonne etiam hæc magis & rectius quàm vnitas ordinis ad vnionẽ hypostaticam, Verbi & suppositi humani accommodanda fuit? Thomas certè accommodare non recusauit. 4. cont. gent. cap. 41 Addit eodem in loco D. Scheckius, ostendens ex duobus aut pluribus cõstituentibus rationémque potentię

habentibus vnum τὸ δέν non cõstitui, hęc verba: *Neque quoad ambo constituentia rationem habeant potentiæ, vt quæ miscentur elementa, quæ omnia sunt in mixto corpore δυνάμει, non sunt etiam actu suppositum, seu τὸδέν quoddam. Materia enim sunt mixti corporis, & quatenus materia, non reuera sed φαινόμενον quoddam τὸδέν existunt, nẽpe quod non sit, sed possit tamen esse actu, & seipso subsistens, post separationem mixtorum.* Nusquam in toto hoc suo libello rectius loquutus est: verè nanque & rectè de elementorum permansione in mixto hîc loquitur, & ex sententia sapientiorum Philosophorum nostri temporis: interea tamẽ aliquid etiam hîc amaritudinis miscet. Explicabo autẽ imprimis dogma ipsum, invsum ineruditiorum qui hæc nostra legẽt, atque eorum præsertim qui de hisce vnionum speciebus assiduè loqui coguntur, vt vim efficaciámque vnius cuiusque, proindéque, quid à specie vnionis hypostaticæ verbi & humanę naturæ vnaquequæ differat, nosse possint.

possint. Sumam autem verba ex ore illius hominis qui in Gallia summus Medicus, summus item Philosopus, nostra tẽpestate iudicatus est. Quæritur, Num elementa quo ad eorum substantias in mixto remaneãt. Thomas id absolutè negare videtur: Alii in via media se stiterunt. Veritas est, substantias elementorum integras, fractas tamẽ & comminutas in mixto manere. Hoc nisi concedatur, non erit elemẽtum, id quòd cuique composito primum inest, & in quod vltimum corpora diuiduntur: In carne item, ligno, & aliis istiusmodi non inerit ignis & terra facultate, quæ omnia Aristoteles affirmat. Neque etiam verè Hippocrates affirmauerit, singula quæ ad mixtum confluxerunt, talem vim in mixto retinere, qualem cõtulerunt, & omnia per interitum eò recedere, vnde sunt accepta. Statuatur ergo, elemẽta quo ad eorum substantias in mixto non tota

Far. lib. de abd. rerum cauſ. p. de. elem c. 6. 7. 8. p. de or. & int. ſub fine

5. met. 3. cœli. cap. 3

in l. de nat. hum.

totis esse confusa, sed mutua vi & effectione pugnantium qualitatum fracta & comminuta, ad exiguas portiones esse diducta, eóque ordine inter se permixta & confusa, vt vnaquæque vnicuique ita cohæreſcat, vt nihil sensu notari possit, quod non ex quatuor diuersorum & contrariorum elemẽtorum portionibus, refractis tamen, & pugnæ vi potestatéque temperatis constet: Confundi tamẽ, & totas totis permiſceri qualitates eorum contrarias mutuóq; pugnãtes, sese viciſſim ad moderationem redi-
In cap. de mixt gere, (quod mixtioni Empedoclis deerat) earúmque confusione temperamentũ quoddã emergere, quod, Alexandro etiam teste, æquabiliter toti consperſum forma mixti nuncupatur, veriſſimum est. Subsistunt itaque particulæ elementorum in mixto suis formis integris remanẽtibus, quanuis ob mutuam qualitatum pugnantiam, implicitæ & quaſi vinctæ sint, neque suas priſtinas vires expromere

mere valeant, vt ignis vrere, aut aqua multum refrigerare. Hac ratione δυνάμει tantùm in mixto esse dicuntur non vnum τὸ δέπ absolutè. At quanuis constituẽtia ipsa, ideſt, portiones illæ elementorum refractę & implicitæ, in seipsis spectatæ, verè vnum τὸ δέπ non sint: tamẽn cum materia mixti sint, vnum corpus verè, & τὸ δέπ constituunt, cum forma ipsa specieque conpositi, quæ in omnia totius molis immigrat. Ex quibus cognosci potest, quàm benè hæc ad propositum D. Scheckii pertineant, qui cùm velit probare ex duobus quæ rationem potentiæ habeant, vnum τὸ δέπ non constitui: dicit portiones elementorum in mixto non vnum τὸ δέπ verum, sed apparens tantùm esse.

In tertio articulo, quo ad Dicxodũ attinet, in quo ex Thoma modus vnionis verbi cum filio Mariæ explicatur, nil reprehendo: obiter tantùm dicam: Si persona verbi naturam humanam ita sibi asseruit & arcte deuinxit, 3.p.sum 9.3.4.5

complexu mutuo, vt de constituto ex his, cõcretum humanitatis vocabulũ prædicari possit, cur alibi vnionem non secundum essentiam Diuinam seu Verbi, sed secundum ener-
Pag.p. giam factam esse asserit? Videtur certè id asserere D. Scheckius, cùm sanctos alios, ea tantùm ratione Christo comparet, vt in Christo plenitudinẽ omnis Diuinitatis habitare non ad mensuram dicat, sanctos verò de plenitudine ista secundum mensuram donationis accepisse. Obiecerũt aliâs ei nostri Theologi, Si hoc verum sit, fore vt tam Petrus quàm Christus Deus sit, & alter ab altero nõ differat,
Pag.1 nisi comparatè, ideſt secundum magis & minus. Respondit toto genere differre cõmunicationes istas, propterea quòd finiti ad infinitũ nulla proportio sit. Primùm hîc fatemur quidem, proportionẽ propriè acceptam, in finitis tantùm quantitatibus eiusdem generis locũ habere, latius tamen & extra quãtitates sumptam & qua-

& qualem in hac noſtra comparatione proponimus, etiam inter finitum & infinitum ſpectari. Non ego autor huius doctrine ſum, ſed Auerroes qui in præfatione ſua in primum de phyſica auſcultatione librum, ita loquutus eſt: Et cùm nouerit ſapiens « breuitatem ſuę vitæ, motumque con « tinuum, & æuum ſempiternum, co- « gnoſcens proportionem ſuæ vitæ ad « ſempiternam, eſſe ſicut puncti ad li- « neam, & minimum finitorum ad in- « finitum, nihili faciet vitam propriam « & neceſſario fortis reddetur. Veriſſimè ergo tunc omnis proportionis ratio tolletur, cùm vnionem Chriſti in perſona ipſa verbi factã eſſe dicemus: in aliis verò ſanctis nequaquàm, proindéque ſolum Chriſtum verè & eſſentialiter Deum eſſe: Quomodo autem reliquis ſanctis & omnibus rebus Deus adeſſe dicatur: Scholaſtici non vno in loco, ſed ſexcentis explicant. Thom. p. 1. dist. 3. contra gent. in 3 sent.

In eodem articulo proponendo

Philosophatur, quàm perspicuè & aptè audiamus. Proponit diuisionem substantiæ ex Aristotele, in eas nempe quæ per se Actus quidam dicuntur, vt mẽtes cælestes, & eas quæ sunt Actus participes, vt corporea omnia, quæ ea ratione esse & subsistere dicũtur, qua Materia eorum, formam habet. Declarabo primùm Aristotelis mentem, mox ostendam in quo D. Scheckius lapsus sit. In illis quæ per se actus quidam sunt, nihil aliud est præter ipsam speciei essentiam, ideóque, ista seipsis indiuidualiter subsistentia dicũtur, & hypostaticum Esse à natura, non reipsa, sed ratione solùm discrepans habẽt: In hisverò quę præter essentiam speciei, quam definitio explicat, aliquid aliud adest, nẽpe accidens indiuidui, aut materia, non idem re, hypostasis essentiáque seu natura erit: ista igiturverè τὸ ἔχον aliquid subsistens esse dicuntur. Quapropter Aristot. secundo de anima libro dicebat, in iis quæ formam in ma

Cap. 2.

teria

teria habent, non idem esse quiditatem & id cui est quiditas, vt nõ idem est ὕδωρ καὶ τὸ ὑδατι εἶναι: In iis verò quæ à materia seiuncta sunt, quòd materiã non habeant, ratione cuius totum ipsum ab essentia (essentiam à quidita te Auerroes diceret) distinguatur, Esse prorsus idem obtinuerunt: quod item de anima ostendit Aristoteles octauo Metaphysico. His ita declaratis, dico, D. Scheck. hic veritatem Theologorum extollere debuisse quãtum potuit, nõ quidquid interpretes Græci Aristotelici de hac re tanti momẽti dixerint, simpliciter proferre. Nos ergo dicamus, Solum Deum seipso verissimè subsistentem, & per se actũ quendam esse, nullóque modo actus participem: vnde Thomas inquit, in Deo solo nullum esse discrimen habentis & habiti, participantis & participati, imò ipsum esse, & suam naturam & suum Esse, idest suam essentiã & suam quiditatem. In reliquis autem omnibus, aliqua compositio est,

3. de anim. com. 5. 9

cont. 8

de sim. diu. est q. 7. art. 4

aliqua materialis δύναμις, Idcircóque cælestes mẽtes que infra Deũ sũt, nõ omnino actus per se sunt, sed aliquomodo participes actus. Theologi varias istiusmodi Mẽtis compositiones tribuunt. Nos alibi ex Auer. in disputationibus aduersus Algazelem, diximus: Omne effectum necessariò esse compositum, ideóque cùm omnes interiores Mẽtes à prima effectæ sint & ab illa pendeant, tanquam à fine, forma, & efficiente, necessariò cõpositæ erunt. Item, quicquid aliud à seipso intelligit compositum esse: Atquí mentes omnes inferiores non seipsas duntaxat, sed primam quoque intelligunt, atque in huius comprehensione illarum perfectio sita est: Prima nanque Mens est quæ seipsam duntaxat intelligit, atque in seipsa omnia, quod est illi vita perfecta, beatissimáque. Vnde sequitur, in inferioribus Mentibus compositionem aliquam esse formæ & materiæ, quandoquidẽ id quod intelligitur, est naturæ expletio,

disp. 1. sol. dub. 16. 19

pletio, & quasi forma intelligentis. Quid ergo pro Aristotele dicemus & Græcis? Hoc nempe, illos de propria & verè sumpta cõpositione fuisse loquutos, quæ materiam & formã complectitur, quæque sensu percipitur: hæc nanque in secretis Mentibus nulla est. Quid pro D. Scheckio? Cũ in Theologia plusquã par sit philosophari velit, nescio. Sed petet quispiã qualisnam illa compositio sit, quam secretis Mentibus conuenire affirmamus? Respondeo vt aliàs (non enim hęc omnino a re aliena sunt) esse cõpositionem quæ solo Intellectu comprehendi potest, non repugnantem beatarum Mentium naturæ. Adumbratur hoc modo a nonnullis: Omnis perfectio, formæ naturam redolet: cõtra verò, perfectionis defectus, materiæ: Omnes Mentes, præter primam, considerari possunt, tum vt ad primã accedũt, tũ vt ab illius summa maiestate & efficacia recedunt: Accessus ille, perfectio est, & formæ instar obti-

net: receſſus autem eſt perfectionis defectus, qui conditionem materiei ſignificat. Erunt itaq; Mentes omnes, prima excepta, ex duabus quaſi partibus compoſitæ: quarum altera veriſſimè forma ſit, ideſt acceſſus ad Deum: altera materię ſimilis, ideſt receſſus á Deo, perfectioníſque defectus. In Mẽte noſtra duæ iſtæ partes, propriis nominibus inſignitæ ſunt: Mens enim noſtra vt accedens, vocatur Agens, vt recedens Capax nominatur. Ad hæc reſpiciens Alexander in duodecimo metaph. inquit, Præter Deum nullum intelligibile ſimplex eſſe. Et paulò pòſt. Primam Mentem tantum alias excedere quãtùm verbis conſequi non ſit. Non igitur omnino rectè loquutus eſt D. Scheckius, cùm ait Mentem Angelicam & ſeparatam, nõ habitu exercere energeiã intelligẽtię, ſed ſuapte οὐσία eſſe ἐνέργειαν. Quod ex Thoma etiam ſexcẽtis in locis cognoſci poteſt, atque ex eo præſertim in quo his verbis vtitur: In ſubſtantiis ſimpli-

50. 26

simplicibus est vna tantum differentia, nempe essentiæ & esse. In Angelis enim quodlibet suppositum, est sua natura, quiditas nanque simplicis est ipsum simplex, vt ait Auicennas, nō est autem suum esse: vnde ipsa quiditas est in suo esse subsistens, ex quo in istiusmodi substantiis aliquod accidens intelligibile potest inueniri. Erat etiam in eo D. Scheckius cùm ait, Compositam cum anima Mentem, hoc modo distingui à Mente secreta nullo adminiculo corporeę vitæ intelligente. Primùm enim, vt ostēdimus, Nulla Mens, excepta prima, penitus ipsa energeia est, ideſt, ἐνέργεια, Mox mentem nostram prorsus ἐνεργεῖν τῷ ἐχειν ex Aristotelis sententia affirmare non licet. Verū est quidē, Mētem nostrā & Angelicam non æqualiter ad Deum accedere: nam vt prima omnium Mens perfectissima est, ita nostra omnium vilissima. Prima seipsam dūtaxat intelligit, & sic in se omnem perfectionem inclusam gerit: Intermediæ seipsas intelligunt, & superiores,

q. de simpl. diu. ess. 7. art. 4

vsque ad primam, Nostra non modò seipsam & superiores, verum etiam inferiora. At vbi quæso illa comparatio fit inter Mentes Angelicas & nostram? Respondet D. Scheckius in metaphysicorum libro 11. Hoc in loco adeò benignus esse lectori voluit, vt nomen libri & numerum indicare voluerit: & sanè illi gratiæ fuissent agendæ, nisi hæc eius noua & insolita benignitas, animum legentis perturbasset potius, quàm consolata esset. Torquet nanque mirabiliter locum Aristotelis, in trigesimo nono cõtextu iuxta sectionem Auerrois, iuxta Alexandrum autem, vigesimo sexto: Quem locum rogo omnes vt expendant: tum si ibi aliam comparationẽ effici quàm inter Deum & Mentem nostram reperiatur, iurè imprudens & malus posthac haberi volo: Illum quidem obscurissimum esse dicit D. Scheckius, mirum est tamen si ita obscurus est, vno ferè eodémque modo ab Alexandro, Thoma, Scoto, Alberto,

to, Auicenna, Auerroe aliisque interpretibus omnibus quotquot habeo & habui, video & vidi, explicatũ fuisse. Non solet certè obscuritas tãtum afferre consensum. Imò hoc ego nũc absolutè profero, Aristotelem quicquid de Abstractorum genere, in Metaphysicis dixit (Deum excipio) id omne Menti nostræ conuenire voluisse. Det oppositum D. Scheckius, petam statim de ipso, vbinam Aristoteles de Mentis nostræ natura egerit? Quanti verò petitio ista facienda sit, scio D. Scheckio nõ esse obscurum. Hæc fortasse præter rem alicui videri poterunt: sed si aliis tãta licẽtia tributa est, vt cùm nil opus esset per physices campum possent excurrere, detur etiam mihi hoc tempore nonnihil digredi, qui necessariò ab iniusta D. Scheckii accusatione, defendere me debui. Cæterùm quomodo in Deo atque in secretis Mentibus, proindeque in Humana Mente, Intelligens, intellectio, & intellectum idem

sint & per habitum, propriámque essentiam, tam nostra quàm intermediæ intelligere dicantur, quomodo item Themistius, Alexander, Simplicius Auerroésque de Intellectu in habitu loquantur, nunc locus non datur declarãdi vberius In duodecimo Metaphysico,& septimo,item in tertio de anima,ab Aristotele sunt ista omnia proposita: ab Alexandro verò, Themistio Auerroéque,egregiè,quãuis non vno modo,explicata. Illud certè prætermitti non potest. Comparationem istam Scheckianam Mentis nostræ in habitu,de qua ibi Aristoteles verba facit, nullo modo conuenire,cum illo πάντων quod Christo tribuit. Nam si Mentem in habitu more Alexandri sumamus, qui Humanam animam totam mortalem statuit: erit Mens in habitu,facultas quędam ipsius,quę ob eximiam quãdam dignitatem, & immortalium mentium similitudinem, immortalis quidem solo nomine appellari queat, aliarum

12. met. 39

aliarum facultatum viliorum reſpectu,(hoc etiam modo beſtias nonnullas diuinitatis participes vocamus) quæque cùm primùm ſolitaria facultas & ſimplex eſſet, ipſi animæ innitens,habitus ſpecieſq;admiſerit.Simplicio verò, qui ex Mente,quæ vnica eſt,& ex reliquis formis,in corpore humano prius exiſtentibus, componi quoddam totum exiſtimat,quod animam rationalem, verámque & poſtremã hominis formã eſſe cenſet,duplex erit Mens in habitu: vna quę in ſeipſa manet, & ſuperiora à quibus formatur, inferioráque quorum Ideæ ſibi ſunt,à prima Mente communicatæ,intelligit: Altera, qua progreſſa iſta Mens ad corpus,capáxque redita & conſopita, à phantaſmatis ita excitatur, vt ad ſe redeat. Auerroi & Themiſtio(hi nanque non multùm inter ſe differunt)quid de re hac dicẽdum videatur,non ita conſtat:neque enim vno ſemper modo,eos loqui ſcimus.Probabiliorem hunc ſenſum eli

ciunt viri quidam grauissimi, ex Themistio, tertio de anima libro. Duplex est Mentis nostræ Intellectio, Æterna vna, Altera ortui & interitui obnoxia. Prior illa semper inest, quæ tamẽ τὸ ἔχειν habetur, vt superius diximus: posterior verò mutabilis, quãdoquidem intereunte aut quiescente intelligendi munere, amittatur, acquiratúrque diuersa, pro humanorum studiorum varietate. At quid quæso ista cum ἐξουσία illa quæ supposito Christi tribuitur? Quod habetur, ibi est species intelligibilis: quod habet, Mẽs aut facultas Animæ. Quod hic habet, est pars suppositi hominis Christi, quod habetur Verbũ, idest Filius Dei: Ergo hic quod habet, est imperfectius: ibi verò quòd habetur, Ex specie intelligibili & Mente, fit magis vnũ quàm ex materia & forma, cũ Mens ipsummet intelligibile euadat, ex Diuina & Humana natura, quod ad extrema ipsa inter se considerata, minima constituitur vnio. Maxima certè est ratione

cap. 18. 19. 26

Simpl. 3 de an. cap. p.

Durand 3. sent. dist. 5. q. 1.

one eius in quo sunt vnita, idest ratione suppositi verbi: Vnde etiam monui aliàs, rationē cōmunicationum Idiomatū Naturarum Diuinæ videlicet & Humanę, aut suppositorū, Verbi nempe & Hominis, nonnisi ex ipsa vnionis ratione sumi oportere. Vniūtur istæ duæ naturę ratione suppositi: æquum ergo est vt nil vsquā Hominis Verbo, aut nil Verbi Homini, præter considerationē hypostasis, aut personæ tribuatur. Itaq; quomodo Homo Verbū esse dicitur, eodem Omnipotens, omnipresēnsque dicetur: propriè nanque affectiones, formam sequuntur à qua fluunt. De affectionibus ergo Verbi eatenus Homo participabit, quatenus de natura ipsa Verbi participat, atquî vnio in naturis facta non est, sed in persona tantùm: dicetur erga eatenus tantū Caro Christi vbique præsens & omnipotens, qnatenus vnita est suppositoDiuino indissolubili nexu, quod suppositum Diuinum vbique præsens est: In sum-

ma quid ista ἐξουσία D.Scheckii velit, quò tendat, præterquam ad destruendam vbiquitatem & præsentiam Carnis Christi in Cœna Domini, non video. Aut ergo malè, aut saltē frustra, Comparationem illam Mentis in habitu hùc à D.Scheckio allatam esse concludatur. Quod deinceps notat de articulo τὴν, verum quidem est illum aliquando prædicato appositū, significare ὅπερ αὐτὸ, vt multi annotarūt non tamen semper. Si vrgeat, ratione afferre non poterit cur Aristot. non contentus vocabulo τὸ ὄν quo vtebantur Parmenides & Melissus, dicat cogi ipsos non modò τὸ ὄν sumere, verum etiam ὅπερ ὂν καὶ ὅπερ ἕν.

1.phy. cont.26

Quod postea inquit, Imperfectionem materiæ non redundare in formam quæ facultatis materialis sit expers, explicatione egebat: admittatur tamen, cùm peruulgatus sit istiusmodi propositionis sensus. Cum verò addit, Humanitati summam perfecti onem accidisse, quæ in compositum redun-

redundat, nempe in personam Christi, captiosè dici potest, idcircoq; dextrè intelligendū est, Non recipit vllā perfectionem Humanitas à Diuinitate, nisi in composito ipso, ideſt quatenus pars Christi efficitur: non redundat ergo perfectio accepta ab humanitate in compositum, sed à composito potius (si ita loqui licet) & per compositum, in humanitatem: quare non quia Caro Christi sit vbique, Christus secundū carnem, vbique esse dicitur, sed quia totum constitutum quod est Christus, est vbique, caro Christi quatenus idem supponit suppositum in quo vnitur, quòd Christus, vbique esse dicitur. Communicatam nanque perfectionem in suppositio, non in natura esse, sępius repetiimus. Declarat etiam quodam in loco, hoc egregiè Thomas: vnde istiusmodi prædicationes, æqualiter verę cēsendę prorsus erunt: cùm nempe dico, Homo est factus verbum, & Verbū est factum caro: Neque enim prædicata Diuina &

3. p. sum q. 2. art. 9

humana dicuntur de Deo & homine, nisi quia nomine Christi Dei, & nomine Christi Hominis, idem suppositum supponitur, quod est suppositū humanæ diuinæque naturæ. Verius quidem & propriùs dicitur, Verbum factum est homo, quia Verbum est assumens & vniens, quàm Homo factus est Verbum: quandoquidem Verbo ipse assumptus est. Cur verò D. Scheckius propositiones illas mutuò conferre voluerit, nempe: verbum factū est Homo, &, Homo est omnipotens, prorsus nescio: Hoc quidem scio, priorem propositionem, ad prædicatum quod est altera compositi pars spectare: posteriorem ad prædicatum, quod per modum accidentis de verbo, prima & præcipua personæ Christi parte prædicatur. Vnde iterum moneo, perfectionem à Diuinitate in humanitatem profectam, iuxta modum vnitatis esse considerandam, ne proprietates vtriusque naturæ confundā tur. ἐξ ergo illa D. Scheckii non accidit

cidit Humanæ naturæ à verbo intimè (vt ait Thomas) sed ratione perſonę & exterius: ergo cùm dicimus Humanitati Chriſti omnem perfectionẽ accidiſſe ratione diuinitatis, tãquam ἕξεως cuiuſdam, addendum eſt, ἕξεως nõ ita intimæ vt quomodo dicitur, Mentem intelligere ratione habitus, (quæ fit vnum cũ ſpecie intelligibili) eodẽ modo dici poſſit, Chriſti humanitatẽ ratione ἕξεως omnipræſentem, omniſcientem eſſe.

Quod in Diexodo ſcribit, Animã nempe humanam, perfectum ſuum Eſſe habere quoad intelligitur Actus quidam corporis: non eſt Peripateticè dictum. Nam non modo non perficitur, cùm craſſo & concreto huic corpori, ſenſui atque phãtaſiæ miſcetur, verùm etiam à Mentis perfectione recedit. Etenim cùm prius Efficiens, ſeu potius conſeruans eſſet (cum nanque ſint æternæ ſpecies quas intelligit, conſeruante potius indigent quàm efficiente) tunc δυνάμει redditur,

nullámque prorſus naturam niſi hãc
3.de an. cap.p. τὸ δυνατὸν habens. Proindéq; Auerroes alicubi aſſerit, Mentem capacem, nobiſcum priuſquam efficientem, in ortu videlicet copulari: Secus rẽ habere in operatione: & Ariſtoteles aliquando ait, ſeparatum ſolum id eſſe quod eſt: Et alibi: Mẽtem præcedere ortum indiuidui, cùm Diuina ſit, & nihil cum illius actione, corpoream actionem communicare. Habet itaque Mens noſtra, propriam atque præſtantiorem operationem, eâ quæ per phãtaſmata efficitur, qua ſcilicet ſe per eſſentiam propriam intelligit: quę, quanuis non ſenſu, ratione tamẽ percipitur, & fundamentis Peripateticorum innititur: Cõcedatur itaque in Mente humana imperfectionis aliquid eſſe, reſpectu ad ſuperiores Mentes habito, non tamẽ imperfectione vlla δυνάμεως participabit, ea ratione qua ſit à corpore ſeparata. Quòd ſi Theologicè loquamur, fatẽdum eſt, Animas cùm coniungũtur corporib⁹ aliquam

3.de an. com.9
3.de an. cont.20
2.degen an.c.3

aliquam perfectionem accipere, non quidem quia corpus ſecundum ſe ſumptum, ſit animæ vnitæ perfectio quædam, cùm materia quædam ſit, quæ ſecũdum ſe formam nõ perficit: ſed quoniam cùm Anima ſit natura quædam imperfecta, quæ ſpeciei humanæ pars ſit, vnita cum corpore perfectionem aliquam accipit, quicquid Scotus dicere videatur. Quod itẽ de anima, cùm iterum in reſurrectione corpori coniungetur, intelligendum eſt.

Tho. in 4. cõtra gent. cap. 79.

in. 4. ſent. diſt 43. q. 2.

In eodem articulo loquitur de relationibus, ratione vnionis quæ in Chriſto ſpectatur, & relationem dicit. Omnia ſunt ex Ariſtotele ſumpta: Quã tamen malè naturam, fundamẽtum, & terminũ iſtius relationis explicet, videãt (qui omnia in præſentia cupiunt) Gaietanum, in tertia parte Summæ q. 2. art. 7. & 8. Præter cætera verò, D. Scheckius, relationem hanc diſquiparantiæ vocat: cùm formaliter loquendo æquiparantiæ ſit: item, Natu

5. met. cap. 20

ram humanam pro fundamento relationis ponit, verbum pro termino: quod si verum sit, idem esse substantiam & accidēs dicere oportebit: quā doquidem relatio â suo fundamento re non differat, vt ex Aristotele & Auerroe colligi optimè potest: Est autē accidens fundamentum cuiusuis relationis realis, formaliter nō realiter à relatione discrepans, quia Relationes, vt inquit Auerroes, minimam debilissimámq; entitatem obtinuerūt: quapropter, non poterant substantiæ inesse, nisi intercedente aliquo alio accidente nobiliori, quod fundamentum relationis nūcupatur. Hoc modo duplicitas substantiæ, intercedente numero inesse dicitur, atque ita de aliis.

7.phy. 17
5.phy. 10
7.phy. 70
12.met com.19

In Articulo 7. proponēdo, discedit omnino ab Aristotelis Mēte, cùm Auicennæ adhereat, qui corpus cæleste animatum alia anima præter inhærentem animam ponit, neque habebit vnquam ex Aristotele, aliquid

9.met. cap.2

quo

quo id possit ostendere: repugnat itē interpretibus Aristot. ferè omnibus. Nec magis cōuenit cum Theologis: nam Thomas illi disertè repugnat. q. de spir. creat. art. 6 p. parte 5. 4. 70. art. 3

In decimo tertio art: pag. 41. Mobilitatem inesse rei Naturali propter materiam tāquam causam affirmat, ipsi tamen Materiæ tanquā subiecto inesse negat. Hoc non modò malè ex positū, est sed vix etiā in Philosophia, ferri potest: Quis enim est, qui non fateatur materiam esse generabilem & corruptibilē subiectiuè? (vt loquūtur) ideſt materiam ipsam subiectum generationis & interitus esse, formā verò seu quod acquiritur obiectum & terminum? Decepit fortasse D. Scheckium, Auerroes, qui aliquādo ponens discrimen inter substantialem & accidētalem formam, dōcuit nullam formam accidentalem, Enti quod facultate sit, aduenire aut inesse posse: sed iam annotarunt omnes verba Auerrois locum habere tātùm in forma accidentali perfecta, non au In lib. de subb. orb.

tem imperfecta, quæ nil aliud quàm via ad terminū, est. Certè si doctrina hæc Scheckiana vera sit, ruet, tota Aristotelica doctrina in primo de physica auscultatione, primóq; de ortu & interitu volumine tradita.

In pag. 46. rectè quidem concludit ad omnipræsentiā Humanitatis Christi eo modo quo ipse inscius & inuitº ponit constituendā (nēpe non per se, neq; essentialiter, sed tātùm personaliter, idest quatenus non est à diuinitate disiuncta) neque locorum, neque temporum interuallis opus esse: Abutitur tamē testimonio Aristotelis, ex duodecimo metaphysico sumpto, cū videlicet ait, Melius est quædam non videre, quàm videre. Nam de sensu quidem sententiæ Aristotelicæ laborant ibi omnes interpretes: de fine verò ob quem sit allata, nemo prorsus est qui dubitet: Omnes enim vno ore fatentur, ipsam ad perfectionem primæ Mentis in intelligendo declarandam, fuisse propositam. Sed explicetur

pag. 44 & 46

cont. 37 iuxta sect. Alex.

tur paucis à nobis contextus ille qui pulcherrimus est, vt magis, appareat quàm perperã D. Scheck. illum aliò quã deceat, traducere voluerit. Quęrit Arist. an illa præpotens & suprema omnium Diuinissimáque Mẽs, id est Deus, aliquid intelligat, vel nihil: quocunque enim horum posito, absurda aliquot emergere videntur: Et primò quidem, si nihil intelligat, qua ratione vocabitur ἀεέκτη οὐσία; διὰ γὰρ τὸ νοεῖν τὸ τίμιον, αὐτῷ ὑπάρχει, cum quæ dormiunt & in ocio degunt honoranda nõ sint: Intelligit ergo. Sed tunc iterum quęrit, an intellectionis eius ἔτερόν τι causa sit, vel ἀυτὸς αὐτὸν νοῖ, si aliud quid, id est obiectum extrinsecum intellectionis causa sit, procul dubio nõ erit verum quod antea, capite nempe septimo eiusdem libri, positum ac stabilitum fuit, Intellectionem ipsam videlicet, esse substantiam primæ Mentis intelligentis, id est: in Deo nõ erit idem Intelligens, Intellectum, Intellectióq;, obiectum nanq;, quod mouebit Men

tem, non erit idem quod Mens ipſa intelligens: quare Mens prima δυνάμις erit: quod enim ad actum mouetur, poteſtate ſit oportet: vnde ſequetur, primam Mentem ſeipſa, πμιώτατον καὶ ἀτιμότατον, non eſſe: cùm per intellectionem honor & perfectio ei ſit acceſſura, & quod perficitur non ſit optimũ. At poſitum eſt, primam Mentẽ quid optimum eſſe perfectiſſimúmque. Alteram igitur quæſtionis partẽ ſequi oportebit, nimirum, Intellectionem, Primæ Mentis ſubſtantiam, Mẽtemque ipſam ſui ipſius ſubſtantiam ſeu intellectionem eſſe. Sed hoc etiã poſito, quęritur, quid intelligat? Profecto vel ſe ipſam, vel quid aliud à ſe ipſa: & ſiquid aliud à ſeipſa, petitur rurſus, an quiduis intelligat ſine vllo diſcrimine, vel honeſta quædã ſolũmodo: Reſpondet, abſurdum eſſe primam Mẽtem vilia & nõ honeſta intelligere, imò verũ eſſe, ipſam nihil aliud intelligere quàm quod honoratiſſimũ & diuiniſſimum eſt, ideſt ſeipſam & non

non aliud extra se: Secus enim, dum transiret ad ea quæ sunt extra se, in pe ius mutaretur,& continua intellectione, molestia afficeretur: quandoquidem si intelligeret aliquid extra sui substantiam, ab eo necessariò moueretur: onere ergo & labore afficeretur, vt colligere licet ex octauo de physica auscultatione: Pręterea daretur aliquid Mente ipsa honorabilius, Intellectum scilicet ipsum, quod mouet & perficit Mentem intelligẽtem: Postremò, intellectio non modò ei onus afferret, verùm etiam dedecus, quandoquidem deteriora quædam, intelligeret, quæ melius est non intel ligere quàm intelligere, quòd reddãt intelligentem imperfectiorẽ: Quem admodum etiam, μὴ ὁρᾶν ἔνια χρεῖττον, ἢ ὁρᾶν. Colligit tandem ἀυτὸν ἄρα νοεῖ εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις. In quem sensum verissimè ista Aristoteles verba sint accipienda, quid Theologi di xerint, & quomodo Auerroes qui in præsenti commentario nimium im-

pius plerisque visus est, non minus tamē æquus & iustus Themistio fuerit & Alexandro, explicare nunc superuacaneum esset: monebo tantùm studiosos Aristotelis, vt diligenter perlegant, quæ Alexander Acchillinus diuinitus, pro hac re scripsit. Perspiciāt autem tādem omnes, quàm bene ad ostendendam Maiestatem hominis Christi, humanitatisque eiusdem vbiquitatem protegendam, hæc Aristotelica propositio adducta sit: quia rectius esse inquit, Non videre quàm videre nonnulla. Ego verò obiicio D. Scheckio, Aristotelē in nulla alia re veteres illos coarguere, quàm quòd non multum oculati essent, sed quicquid illis veniret in buccam enuntiarēt. Vult ergo, philosophos habere oculos, adeò vt consentaneè vbique loquantur, vt physicas ἀπειρίας λέγοντες physicè agant, non sint alicui addicti, cuius gratia ea quę fieri nequeunt πρὸ λόγου ἕνεκα tueri cogantur. Certissimum est hoc in Physiologia, corpus idem non

lib. de dist. sub finem

p. de ortu & int. cont. 7

p. phy. cont. 12

3. cæli. 19. 21. 61

non modò non vbique, ſed neque etiam in pluribus ſimul locis eſſe, neq; vlla ratione vel reſpectu effici poſſe, ſi corpus phyſicum, & humanũ ſit, vt dimẽſione, quãtitate, figuráq; certa non determinetur, proindéque vt vno quodam loco ſibi æquali, tanquã termino nõ circumſcribatur, in quo cùm re ipſa, & per ſe ſit, alibi reipſa & per ſe eſſe nõ poſſit: Ordo & lex naturæ hoc exigit, eſt autem natura Dei miniſtra & ancilla: Quarè non videt Deus quæ videnda non ſunt, ſi ea conſeruet, quę ſemel ſtatuit, & ſi naturæ legibus & conditionibus ſubiiciat, quod naturę effectum eſſe voluit: neque peccant Chriſtiani ſi ſuo cerebro à corpore phyſico id ſeiũgere nolũt, quod Deus illi ſemel cõiũxit: ſi quod Deus verè phyſicum eſſe voluit, ipſi metaphyſicum aut chymericum putare non audeant: ſi adeò velint eſſe oculati & ſenſibus vigentes, vt reipſa videre, tangere, manducare, deglutirèque ſe negent, quod non habent in

ore, quod longissimè ab ipsis abest. In pag. 52. loquens de sessione Christi ad dexterã patris inquit: *Quando quidẽ humana natura Christi sit alicubi vel intra vel extra cælos illos corporeos cõsistet. Loquimur autẽ de glorioso illo corpore absolutè, quod ipsum expers quoque sit omnium accidentium physicorum, quæ rebus causa materiæ & patibilitatis accidunt, excepta quantitate, quæ tamen physica non sit, arcens & excludens alia corpora, qua omnino suo modo præditum sit oportet.* Errat hîc primùm, quia corpora omnia naturalia, vna aut pluribus superficiebus, terminata figuratáq; sũt, vel ratione suæ formæ, vel continentis, Philosopho teste. Ideóque corpora simplicia, quòd figura & termino, ratione formæ carerent, proximè accedere ad naturam materiæ primæ aliàs docebat Auerroes. Est enim trina dimensio, non quidem forma substantialis corporis in prima materia existens, vt quidam existimarunt, (longitudo enim, latitudo profunditásque, quãtitates quædam sunt, non substãtiæ,

2.phy. 1 cont. 16
3.phy. cont. 40
8.phy. com 82.
3.cæli com. 67

tię, ſed id cui primò ipſa inſunt, potiꝰ ſubſtantia eſt, vt ait Ariſtoteles) ſed accidentalis diſpoſitio, quæ tamen nequit à prima materia ſeparari, vt in libro de ſubſtantia orbis Auerroes teſtatus eſt. Idcircóque alibi Philoſophus aſſerit, corpus ſuperficiebus & lineis tantùm definiri, quibus etiam ſpoliari nequeat, quin corrumpatur, ac ſi illæ dimenſiones, illius differentiæ eſſẽt. Cæterùm D. Scheckius hîc, corpus quantum & non quantum ſibi fingere voluit: ait nanque, corpus illud phyſicum expers eſſe omnium accidentium phyſicorum, excepta quantitate, quæ tamen phyſica non eſt: At quî fieri quæſo poteſt, vt phyſicum corpus non phyſica quantitate conſtet? cùm hac ipſa eo modo quo antea diximus phyſicum corpus definiatur, & cõſtituatur? Tum rogo, quænam iſta non phyſica quãtitas, & quale iſtud corpus futurum ſit: nam Ariſtoteles non niſi de duplici corpore vſquã mentionẽ fecit, phyſico vide- 7. met. 8

3. meta. 17

3.phy. 40. p.cæli. 69.in lib de int. c.p. 4.phy.5 Auer.4. phy.47

licet, quod ſenſile vocat, & hoc omne ſi ortum habuerit, tactile eſſe declarat Alexander, locúmque & loci differẽtias diſtinctas ex natura rei habere. Alterũ intelligibile, ſiue mathematicum, quod in loco eſſe indeterminatè, & ſecundum imaginationem tantum dicitur, re non differens à vacuo, cũ tam hoc quàm illud tres tantùm dimenſiones à materia ſeiunctas ponat. An D. Scheckio fortaſſe arridet corpus illud Alberti metaphyſicum? atquſi ita res habet, debuit Ariſtotelis defectum declarare, mox rationibus doctiſſimi Zimaræ quibus illud è medio tollit, ſatisfacere. Quid? quòd huiuſmodi corpus ſub ſenſum non cadit, quomodo igitur phyſicum dici poterit? Addo, reuera non eſſe niſi vnum corpus, nempe Phyſicum: Mathematicum enim ab eo reipſa non eſt ſeparatum, ſed ſimul & idem ſunt. Poſtremò, quicquid D. Scheck. de hoc corpore comminiſcivoluerit dicam ſemper, multa prædicata eſſe,

Auer.2.

phy. com.18

quæ

quæ possunt quidem alicui non repugnare ratione generis, ratione tamẽ propria & peculiari speciei, prorsꝰ aduersari. Hoc modo Auerroes dicebat, Corpus cęleste quiescere posse inquãtum corpus, non inquantum tale corpus, quod uidelicet neque graue est neq; leue, De ortu terræ, de velocitate motus in infintum, idẽ affimatur. Quapropter etiamsi corpori, vt corpus est, quiduis conuenire euinceret, non tamen vnquam euinceret corpori huic humano Christi, ea tribui posse, quæ physici & humani corporis naturam destruũt. Quapropter cũ corpus Christi ianuis clausis & per fissuras ostii ingressum ad discipulos fuisse dicunt, præterquam quòd scripturæ sacræ vim inferũt, veritati quoque repugnãt. Excipient, atquí neq; graue, neque leue, neque durum, neque asperum, neque morbidum erat corpus illud: Respondeo impossibilitatem penetrationis corporum, ex terminis tantùm mathematicis e-

7. phy. com. 2. cæli 104 6. phy. 15

orundem, non ex accidentibus sensi-
libus duci, quod Auer. quarto physi-
co ex Aristotelis verbis annotauit.
Quale tandem erit hoc corpus D.
Scheckii? Respondet, spiritale, sed nõ
penitus, Ergo subsẽsum cadere simul
poterit & sensũ effugere, vno eodém
que tempore tangi & non tangi, cor-
poreúmque erit & incorporeum: hęc
nãque partim spiritus, partim corpo
ris naturæ conueniunt. De vehiculis
Platonicis, quæ addit, præterquam
quòd Platoni repugnant, Aristoteli
etiam iniuriam faciunt, qui illa agnos
cere noluit. Namvt omittam Ostrea-
in Tim. ceum (ita Proclus vocat tertium ani-
mæ vehiculum) & Aereum, Æthereũ
alterum à quo (si Proclo & Synesio fi-
dem adhibere velimus) nunquã Ani-
ma seiungitur, ex substantia cæli con
stat: non ergo semihumanum quid
esse poterat, vt D. Scheckius ponit. A
ristoteliverò facit iniuriam, quia ipse
hocvehiculi genus noluit ad mittere,
quemadmodũ neque Aereum (eo sal-

tem

tem modo quo Platonici, agnoscere voluit. Cælum Aristoteli, non imminuitur, non augetur, non scinditur, non diuiditur, non perforatur, item nō mouetur nisi motu simplici, cùm corpus simplex sit: Platonici tamen vehicula illa cælestia, neque in orbē, neque motu grauium & leuium, sed mixto, cum suis animabus descende re docerent. Quanuis autem nonnulla verba sint in secundo libro de generatione animaliū, capite tertio, quæ nobis repugnare videntur, homini tamen intelligenti facilia sunt explicatu. Et de glorioso quidem statu corporum post resurrectionem, nemo est qui dubitet, extántque de re hac integra Theologorum volumina. Sed hîc de corpore illo phýsico humano, quod in cælum spectātibus Apostolis ascendit, quæstio est, cui velimus nolimus locum certū assignare debemus, non quidem per operationem, vt spiritualib⁹ creaturis, in quibus operatio à facultate, & facultas p. Cæli

ab essentia nō differt, sed per certam circumscriptionem, idest lōcum qui ordinem partium in toto,& partium in loco,ob trinam dimensionem, cū limitibus quibusdam spatii continētis dicat. Hoc etiam modo corpora beatorū fore si simpliciter credamus, idest sub quantitate hac corporea se habitura,perfectiori tamen & incomprehensibili modo,nil absurdi sequi potest,cùm & illud ad gloriā Dei pertineat, si ea sub corporeis quibusdā conditionibus manere sinat, quæ semel cū corpore nasci voluit: vt hinc videlicet aliquod discrimē appareat, inter opera quæ aliquando astu diaboli labefactata euersaque fuerūt, & ea que integra semper manserūt,idest spirituales beatasq; creaturas.

cōt. 100 Quæ addit ex primo cæli ab Aristotele sumpta, eiusdē momenti sunt cuius superiora: Aristoteles nanque, vt Anonymus modestissimus illi obiecit, neque ascensionē Corporis Christi in Cælum, neque vnionem istam hypo-

hypoſtaticam Filii Dei & Filii Mariæ nouit. Præterea phyſicè loqui voluit; ideſt ratione à ſenſu ducta. Hoc facilè ex illo cognoſci poteſt, quòd Ariſtoteles quanuis probaſſet non plures dari Mundos, vt veteres quidã exiſtimabant, & hunc vnum eſſe finitum: tamen non veritus eſt affirmare, Extra cælum nihil eſſe, neque locum, neque tẽpus, neque vacuũ. Quęritur autẽ & iure ab Interpretibus, num ſi quis collocaretur in ſuperioris orbis conuexa ſuperficie, manũque extrà vellet extendere, poſſet, necne: nam ſi poſſet, ſequeretur extra cælum eſſe vacuum: ſi verò non poſſet, iam conſtaret ibi aliquod corpus adeſſe quod prohiberet, quin manus extra protendi poſſet: eſſet ergo & corpus & locus extra cælum. Excipiũt aliqui, Caſum ex eorũ genere eſſe, qui fieri nequeunt: ſed iſtæc exceptio nulla eſt, vel enim id fieri vel nõ fieri poſſit, ſemper quæſtio vrget. Quarè quid aliud concludẽdum, quàm tantũ Philoſophũ

rationem ſenſus ſequutum, id potius cõcedere voluiſſe, quod abſurditatibus minus erat expoſitum, quàm vel mundum eſſe infinitum, vel plures dari mundos, quæ dogmata, abſurditatibus infinitis vndequaque circunuenta eſſe animaduerteret. Relinquantur ergo iſta phyſico, & in re tanti momenti nobiſque ignota, rationis decurſum veritati Diuinæ ſubmittamus, neque illam tenebris hiſce obſcuremus. Aliò certè adiumenta hæc phyſica trãſferri vult Dominus, quàm ad iſta nobis penitus ignota adumbranda, ne & Diuina maieſtas violetur, & vnà diſciplina tam inſignis, nimirum phyſica, dedecore à nobis afficiatur: quod fit, cùm altius illã extollentes quàm par ſit, in repugnantes ſententias incidere cogimur. Id certè D. Scheckio accidit qui cùm pag. 53. dixiſſet, corpus Chriſti eſſe materiæ expers, non ſemel antea & poſtea illud Phyſicum vocat: ac ſi principia per ſe corporis phyſici, alia præter

ter materiam & formam alicubi posuerit Aristot. Peto ergo à D. Scheckio, num corpus Christi sit verum corpus, an potius phantasticum: Si primum concedat, ego concludam, ergo materiam continet, materia nāque corporum physicorū principiū est. Dicet, est corpus alterius rationis ab istis: iterum petam, ex quibusnā principiis constet. Dabit certè, Materiam vnum illorum esse, secus non esset physicum corpus, vnde sequetur, materiam quoque ipsam alterius rationis ab ista quæ principium omniū corporum physicorum & humanorū est, fore: Atqui hoc repugnat Aristoteli, ponenti vnam esse materiam & principium vnum corporum sensiliū. Excipit ex nono metaphysico, malū & peccatum non esse in æternis, quādoquidem, eodem Aristotele teste, malum omne ex priuatione oriatur: sed quid hinc habere possit, quo corpus Christi physicum & humanum, ab omni corporea cōditione spoliet,

p.phy. 56. 2.de ortu & int. 6 cont. 19 p.phy. 80 ibid. Themi.

neq; mẽte, neque imaginatione aſſequi poſſum.

Loquens poſtremò pag. 56. de eadem Seſſione Chriſti ad Dexteram Patris, iterum labitur, (non diſputo in præſẽtia de reipſa, ideſt quomodo Chriſtus dicatur ſedere ad Dexterã Patris, id nanque quomodo ſit intelligendum ſatis ſupérque & modeſtiſſimè & piiſſimè à noſtris Theologis declaratum eſt, tantùm ſpecto quæ D. Scheckius pro hac re affert ex philoſophia) Ait enim, vt Chriſtus ſedere ad dexteram Patris dicatur, cauſam eſſe humanitatem, quæ tamen humanitas ſedere non dicitur: Quærit deinceps iuxta regulam illam analyticã, nempe, Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis: quærit inquã, cur ſi propter humanitatem, Chriſtum ſedere dicamus, non multò magis ſedere humanitati cõueniat. Reſpondet ex ſententia eiuſdem Ariſtotelis ſecundo metaphyſico, Regulam illã veram eſſe in cauſa & effectu, quæ ſynonyna

p. poſt cont. 20

cont. 4

nonyma fuerint. ait nanque Aristot. ibi: Illud magis tale est, propter quod cæteris inest vniuocatio, id est (quicquid D. Scheckius exprimere conetur.) Illud magis tale est à quo tãquã à causa dispositio effectui communicatur. Tunc addit, *Humanitas nõ prædicatur de Christo, neque per se est ipsa humanitas, sed pars eius quod per se esse tertio modo dicitur.* In toto hoc decursu Scheckiano, tot inuenio errata & aliis etiã crassiora, quot verba. Primùm omniũ quæstionem vt vnam proponit, quæ multiplex est, ergo captiosè ipsum proponere ex Boetio & Aristotele ipso colligere aliquis posset. Aliud enim est quærere, cur si propter humanitatem Christus sedere dicatur, nõ item humanitas magis sedeat: & quærere, cur si propter Corpus humanũ Christus homo sedere dicatur, non itẽ corpus ipsum sedere dicatur. Prior quæstio indigna est quæ moueatur, Posterior vero cõueniens est. Etenim non Humana natura seu humanitas

in lib. de int. 2. cæli. 100.

pars Christi est, sed humana natura in hac materia, idest Homo, seu corpus humanum: ratione cuius sedere dicitur. Constat apud omnes, & eos quoque qui vel tantillum Dialectica & Physica olfecerunt, in definitione illa quid rei, quæ in omnibus decem Categoriis locum habet, genus, propriáſque definiti differentias ſumi: Genus item primò quidem exprimere formam generalem, vt animal, animam ſentientem, differentiam verò, primò formam ſpecialem, vt rationale, Mentem noſtram, quæ propriè humanæ naturæ forma eſt, adſignificare tamẽ ipſam quoque materiam. Quô fit, vt nemo ſit qui dicat, Homo eſt anima ſentiẽs, aut (liceat nũc ita dicere) Animaleitas, ſed animal, ideſt anima ſentiens, aut animaleitas in hac materia: Ita nemo dicet, Homo eſt Mens aut rationalitas, ſed rationalis, ideſt Mens & intelligentia, ſeu Ratio in hac materia. Ita Chriſtus non dicitur Hum nitas, ſed Homo ideſt Human itas

manitas in hac materia: Ergo quemadmodum vigilare non accidit homini per animam sentientem, sed per animal, ideſt per animam sentientem in hac materia: ita Chriſto ſedere accidit, non per humanitatem quæ forma ſimplex eſt, ſed propter Corpus humanum, ideſt propter humanitatẽ in hac materia, accommodatis organis ad ſeſſionem prædita: quæ humanitas in tali materia, ideſt corpus humanum, eſt verè altera pars hominis Chriſti, cuique verè & per ſe maximéque ſedere, ſtare, ambulare conuenit. Quemadmodum etiam ſi propter Verbum dicitur Homo Chriſtus omnia ſcire & poſſe, multò magis Verbum omniſciens & omnipotens dici merebitur: Concludatur itaque, Hominem de Chriſto prædicari, non humanam naturam, vt ait D. Schek. Homini itaque maximè Sedere conueniet, cùm propter ipſum Chriſtus ſedere dicatur. Nunc ad regulam. Dico primùm illam eſſe à D. Scheckio

malè explicatam : nam in prædicatis eſſentialibus, propriiſque affectionibus, à cauſis vniuocis in effecta proficiſcentibus , regulæ locus nullus eſt. Homo nanque generans , non eſt homine genito magis homo , neque magis docilis: neque ignis generans ,igne genito magis ignis , aut magis calidus dicitur. Debuit ergo addere, Si forma cõmunicata ab vniuoco accidens ſit,atque ex eo genere quod magis minúſque recipere poſſit : vnde Ariſtoteles in Topicis,problema de magis & minus ad problema accidẽtis reuocabat. Multas alias exceptiones proponunt interpretes, pro veritate huius regulæ:ſed omnes complexus eſt Cardinalis Gaietanus ex Thoma,cùm inquit,Regulã hanc veriſſimam in omni genere cauſæ eſſe, quum conuenientia eſt inter cauſam & effectum in nomine totius effectus, qui cum particula cauſam exprimente, ſupra verè cauſam,cum diuerſitate tam effectus, quàm eius cui

p.poſt. cap.2 in p.ſẽt. diſt.13. q.1.art. 2.p.ſum q.87. art.p.

acci-

accidit effectus, reflectatur. Primæ 18
ditionis defectu non valet, Socrates est homo propter Sophroniscum, ergo Sophroniscus est magis homo: Quia item secũda absit, ista vera non est, Color videtur propter speciẽ, ergo color magis videtur: Cùm tertia quoque desideretur, non valet hæc, Homo est docilis propter animal rationale, ergo animal rationale est magis docile: Postremò, defectu quartæ ista est falsa, Tempus est quantũ propter motum, ergo motus est magis quantus.

Sed redeo ad prima, D. Scheckius absolutè putat, prædicata quædã esse quæ insunt & non prædicantur: Ego verò doceo nunc, quicquid ineſt propriè alicui, de illo prædicari: propriè inquã, non modò respectu eius quod ineſt, verùm etiam eius cui res ineſt. Et insunt quidem propriè accidẽtia: nam accidentia sunt entia quia entis, inquit Aristoteles: vnde verius ipsa inexistentia quàm existentia nun- 7. met. com. 2

cupantur. Subiiciũtur autem propriè prædicatis inhærentibus, quæ consistunt. Pro qua re animaduertendum, quemadmodũ prędicati munus est, formare, expolire, perficere, fingere: ita subiecti esse consistere, subsistere, vt formari effingíque possit: Illud formæ proprium, hoc materiæ habetur: vnde & prædicatum rationem formæ gerere dicitur, subiectum verò materiæ. Quò respicientes Simplicius & Philoponus in primo physico asseruerunt, concretum corpus, omnem aliam perfectionem à forma accipere, præterquam quòd per materiam cõsistit. Hinc etiam definitio habuit, vt in quid prædicaretur, non in quale, cùm tamẽ differentiæ, vim omnẽ suam & dignitatem acceptã referat: imitatur siquidem genus in hoc, propterea quòd cùm vocabulum ἀ quiddam subsistens ſignificet, Genus respectu differentiæ quiddam subsistẽs est: Atquî Definitio idem est atq; species, quæverius etiã quàm genus subsistit:

sistit: Vnde & Aristot. principem definitionis partem initio quarti Topici, genus esse pronuntiauit. Sed ad rẽ. Constat ex his, nunquam pro subiecto inhærentiæ, formam simplicem sumi propriè posse. Non dicimus ergo docilitatem inesse Rationabilitati sed Homini. Quòd si illud aliquando dicatur, eatenus verum est, quatenus differentia refertur ad genus, cuius differentia est, & quod cõstituit: qua etiam ratione, ex parte in quid prędicatur. Quare cùm dicimus rationalitati inest docilitas, idem est acsi diceremus, Animali rationali docilitas inest. Quòd si prorsus accidentalis denominatio aut inhærentia sit (affectiones enim propriè partim ad substantiam partim ad accidens reducũtur) multo minus in forma simplici poterit exerceri. Quapropter non dicetur propriè, Humanitati inest sessio: neq; Humanitas Sedet, sed Homini Sessio inest, & Homo Sedet (sola nanq; genera & differentię prædicãtur vniuocè,

vt ex categoria Subſtantiæ liquet.) Concludatur tandem, ab vna forma ſubſtantiali, & accidentali etiam aliquod aliud accidens emanare poſſe, nunquam tamen accidens illud emanans, formę ſimplici ac nudæ, per modum inhærentiæ propriè poſſe attribui: Hæc quòd leuia ſint, & ab Alberto Auicennáq; in ſua Logica ſæpius inculcata (omnia tamẽ ex ore Græcorum ſumpta) huc afferre me ferè pudet, prætermitti tamen nõ potuerũt.

Quæ addit poſtremò non minus reprehendenda ſunt: *Sedere*, inquit, *ineſt homini*. Dico hoc eſſe falſum: quia nõ ſedere: ſed ſeſſio homini ineſt & ſedere non prædicatur de homine, ſed denominatũ à ſeſſione, quod eſt ſedens: dicitur enim Homo ſedẽs eſt ſeu ſedet. Clamabit iterum aliquis, hęc minima eſſe: Fateor, ſed animaduertant pij lectores, maxima ex his minimis falſis, D. Scheckium concludere voluiſſe.

Addit: *Seſſio eſt relatum vocabulum in Categoria*

Hoc itē falsissimū, & vix ac ne vix quidem ferendum est: quia sessio, accubitus, & statio, sūt species categoriæ Sit⁹, siue Positionis, quæ Positio omniū Philosophorum consensu, vna ex decem Categoriis est. Falsum est quoq;, sedere, stare, accumbere, positúmque esse, non cōtineri in categoria Situs. Quādoquidem si diuersitas prędicandi, nēpe vt denominans & denominatum, diuersitatē Categoriæ afferret, albū & albedo non in eodē genere collocarētur. Dicendum est ergo: Positionē siue Sitū esse genus generalissimū, complectens vt species, sessionē & eius denominatum, ideſt sedere, stationē & stare: sicut Qualitatis categoria, tū albedinē continet, tum etiā albū. Quòd si Arist. dixerit accubitū, stationē, & sessionem esse relata, id fit, quia per modum, tantùm relatorū significant. Quòd si quis huic veritati resistat, cogetur dicere, Categoriā Situs denominatiuè dici ab his quæ in Categoria relationis cōtinētur, quod absurdissimū dictu censendū

In categ. rel.

n. i.

est,nisi velimus sectionē entis Aristotelicam in decē categorias euertere. Cō cedatur ergo illud D. Scheck., accūbere,stare,sedere,quæ sunt in Categoria situs, denominatiuè dici ab accubitu, statione,sessioneque secundū modum tātùm significandi sunt in genere Relationis,sed concedat & ipse nobis necesse est,accubitū, stationē,sessionē secūdū lllud quod sunt, idest positiones,in genere Situs collocari. Hæc annotarūt ferè omnes isti neoterici: quarè miror quî fieri possit vt D. Scheck. fugerint: sed miror magis,quomodo verba illa ex ore eius exire potuerint. *Sessio est relatum vocabulum,significans determinatam dispositionem partis respectu totius.* Rectè hæc, vt distīguatur Positio ab Vbi: Sed afferatur exēplum. Ait D. Scheckius: *vt Humanitas respectu totius Christi.* Deus bone quid est hoc? cur nō inquit, vt partis humanitatis idest,hominis,respectu totiº humanitatis, idest totius hominis? est nāq; ait Ammonius,sessio dispositio corporis qua pars eius stat,pars verò sedet:

præte-

præterea, quî poteſt D. Scheck. dicere Humanitatem ſedere vt partẽ totius Chriſti, cũ poſitionis categoria in corporalib⁹ locũ habeat, in ſpiritualibus nullũ? Quid verò illa: *Sedere meẽſt toti homini.* Ergo non differt categoria Vbi à poſitione: ita nanq; interpretes omnes poſitionẽ ab vbi diſtingũt, vt dicãt, vbi reſpectũ totius ad totũ locũ, poſitionẽ verò partis ordinẽ ad loci partes afferre. Certè quocunq; me verto in his verbis D. Scheckii, nõniſi improprias, obſcuras, & adulterinas loquutiones inuenio. Nolo hîc diſputare quomodo vl timę illę quatuor Categoriæ relationẽ dicant, & quomodo abſolute dicãtur, qua itẽ ratione relatio quam adſignificãt, à vera relatione differat, quòd limites inſtituti mei iſta excederent. Studioſi petere ea õnia poterunt à Thoma & Herueo, ſed planius à Paulo Soncinate in quinto met. q. peculiari, qui ſententiam Scoti, Capreoli & Thomiſtarum omnium proponit atq; expendit. Ego ad alia quædã meæ pręfationis venio. In categ. rel

Sed ecce iã ad nos allatus est, Doctissimi cuiusdam viri libellus, in quo egregiè sanè & philosophicè vtrunque horũ quantũ Theologo sat erat, præstitũ est. Quod vero physici munus peculiare esse videtur, aliquãdo fortasse in vsum harũ disciplinarũ ab alius commodiore loco præstabitur.

Qui & Quãtus sit hic vir, de quo inpręsẽtia loquor, cũ libellus, ipse tũ nõnulla alia eius scripta quæ extant, satis declarare possũt: Neq; ego illius pietati, non vulgari eruditioni, doctrinęque multùm tribuens, à clarissimorũ permultorũ virorũ sententia de eo multò antea lata, discedo. Huius rationes prę cipuas D. Scheckius attingere noluit, tantùm annexa quædam vt absurda, (& profectò malè,) confutauit. Eas ego hac in parte meę prętationis expẽdere stabilire, necnon aduersus responsum D. Scheckij defẽdere decreueram, Sed audio iã ipsummet Autorẽ Anonymũ paratã sui defensionem habere quàm propediem edat. Quare in ipsius rescriptis, ista omnia planè, solidè ac doctè explicata semel legi malo, quàm in his nostris leuius atque indoctius, quã-

quam

quamveriſſimè repetita, inueniri. Cæterùm quomodo egregiè, & vere Philoſophicè quantum Theologo ſat erat, doctiſſimus iſte Anonymus, vtrũque illorũ munerũ, de quo nos antea loquuti ſumus, aduerſus D. Scheckiũ præſtiterit, nemo eſt, qui ſi artẽ & progreſſum eius in libello illo acutè expẽdat & præcepta Ariſt. Dialectica cũ eo cõferat, cognoſcere non poſſit. Id certé ego nũc libẽter oſtẽderẽ, quòd ad artẽ argumẽtandi diſputandiq; pertineat, ſi de huiuſmodi re agens, de vi itẽ efficiáq; rationũ Anonymi vnà agere non deberẽ: q; cur à me in præſentia negligatur, paulò antea dixi: Reliqua præfationis meę, interpretatione nõ egẽt, Quare finem iã tandẽ interpretandi faciã, rogans vos atq; obſecrãs, optimi, piiſſimiq; viri, vt hæc noſtra quantulacũque ſint ęquiq; boniq; cõſulatis. Teſtari corã Deo poſſũ, me hæc omnia errata, primis ipſis diebus quibus libellũ D. Scheckii legi, ſtatim deprehẽdiſſe, atque, vt fit, aſteriſcis quibuſdã in margine, ſimpliciter notaſſe: quę nunc

festinãter etiam, iniusta reprehẽsione D. Scheck. coactus, descripsi atque explicaui: Nõ enim licuit mihi munerib⁹ Scholasticis quibus deuinctus sum, priuatísq; aliis studiis assiduè occupato, multũ in expẽdendis Scheckianis istius modi scriptis temporis ponere. Quanquã, cũ proximè non modò bis sed ter illius libellũ postremò editũ relegissẽ, multò etiã plura, & grauiora errata philosophóque planè indigna deprehẽdi, tantíque momẽti, vt tractationẽ peculiarẽ & integrum volumen ipsa per se postulẽt. Nõ minus igitur cautos & oculatos esse oẽs in hoc altero, quàm in priore illo perlegẽdo cupio. Nunc sat mihi esse volo, si ostẽderim, me neque malè neq; imprudẽter, neq; incognito consilio D. Scheckii, aut non perfecto illius libello, sẽtẽtiã ei⁹ dãnasse: Quam quantea dãnassem, nõ statim propositis rationibus, nõ adeò grauiter ferre D. Scheck. debuit, Cũ & ipse in suis scriptis, presertĩ verò in præfatione librorũ suorũ de demõstratione, õnes ferè autores, tãGręcos quã Arabes, & ipsum

etiã principẽ Peripateticorũ interpretum Auer. necnon Latinos, ſimpliciter dãnet, cũ tamẽ vix vno aut altero loco ſuorũ cõmẽtariorũ aliquid in ipſos cõueniẽs reperiatur: imò quicquid boni, Scheckiani libri habẽt, id omne ex ore illorũ ſummorũ interpretũ deſumptũ ſit. Ego verò præterquã q̃ iã antea dixi D. Scheck. quiduis aliud agere, in ſuis illis 15. libris de Demõſtratione, quàm Ariſtot. interpretari, cenſeo, aut Auer. & Philoponũ διάνοιαν Ariſt. in poſterioribus Analyticis veriſſimè planéque aſſequutos eſſe, aut Ariſtot. dum illa ſcriberet, prorſus ſomniaſſe. Parco tamẽ hac in re D. Scheck. cuiº fortaſſe politioribꝰ auribº, nõ bene Latina Auer. verſio, atq; inſolita phraſis minus arriſit, proindéque eius libros nõdũ audita aut percepta doctrina damnare, atque à ſuis ſtudiis vigiliiſque explodere voluit. Rogo autẽ omnes veræ ſcientię cupidos, vt iam tandẽ à delicatiori illa & Ciceroniana quadã philoſophia, ad olidiorẽ intimioremq; ſe conuertere

velint, ideſt acutè ſcripta Græcorũ, Arabũ & Latinorũ tam interpretantium quam diſputantium, non bis aut ſemel ſed ſepius expendere, ex iiſdẽ excerpere, annotare & annotata cõferre: tum demũ iudicare, an quicquã diuinius de Analyticis poſterioribus dici poſſit, quàmq; Auer. in Cõmentariis magnis, in mediis, & in Quæſitis Dialecticis ſcriptũ reliquit: Perobſcurus eſt Autor, fateor, ſed curandũ eſt, vt aſſiduis ſtudiis multáq; adhibita diligẽtia obſcuritatẽ illius tandẽ ſuperemus: Neq; enim in verborũ connexione implicita ambiguáque, qualẽ Ariſt. in oratione Heracliti dãnat, obſcuritas Auerroica cõſiſtit, ſed in grauitate ſentẽtiarũ ex quarum perceptione incredibilis fructus, & qualẽ nullus vnquã expectaret hauriatur. Sed hæc non huius loci ſunt: Pluribus perſequar, ſi quando, plus ocij nactus Dei benignitate fuero.

3. rhet cap. 5

Valete iterum, Pij viri, optimíque.

FINIS.